

8°

A. gr.

1590

- 33.

80 A.v.gr. 1590.

II. A. Cu. 13.

<41600273230018



P L A T O =

N I S S O P H I =

S T E S,

*Siue de eo, quod uere esse
dicitur.*

P E T R E I O T I A R A

Frisio interprete.

A D CLARISS. VIRVM D.D. VI
GLIVM ZVICHEMV M FRI-
SIVM, SVMMI CONSILIE
CÆ. MA. PRÆSIDE M.

G. Wageneckher
LOVANII
Apud Martinum Rotarium.

An. M. D. LII.

32.

C V M P R I V I L E G I O .

Sig. Ph. de Lens.



CLARISSIMO

PRUDENTISSIMO QVE, ET
Omni literarum ac uirtutum genere ornatis.

D. D. Viglio Zuichemo Friesio,
Supremi Consilij Cae. M.

Praesidi,
Petreius Tiara Friesius S. D.



Ispicienti mihi vir huma-
nissime, multumq; & diu
cogitati, quid in rebus me-
is esset, quod pro tuis erga
me beneficijs tibi potissi-
mum redderem: quoque si
non insignem, at aliquam certe propensi, &
non immemoris animi significationem da-
rem: nihil occurrit in tenui mea supellecti-
le, quo non ipse multo magis abundares.
Quid est enim, quod aut ingenio homi-
nes, aut industria consequi, aut fortunæ be-
nignitate possunt, quod tibi non ita suppe-
rat, vt in te uno ornando, omnibusq; bo-
nis locupletado, nec Fortuna naturæ con-
cessisse, nec natura Fortunā nō multis pa-
tibus viciisse, eamq; etiā finxisse videatur:
tanta est humanitas, tam exposita omni-
bus opera tua, atq; industria, tantus in ser-
monibus lepos, tantaq; urbanitas, vix uti

A ij videat

videatur, qui ista bona habeat, ei fortuna
deesse potuisse. quare te nostri seculi Pōpo-
nium Atticū soleo nominare. Vereor hoc
loco, ne quicunq; te nouerit, nō me augere
laudes tuas, sed eas potius atterere culpa
ingenij, atq; imminuere dicat. Sed ego lō-
ge malo in hāc peccare partē, vt non satis
de te dicere existimer, quām suspicione a-
dulatiōis incurrire. Cū hēc igitur ita sint,
& tamē nisi omnium mortaliū ingratissi-
mus haberi velim, aliquid de meo tibi pe-
nu necessē sit promere, quo meū erga te a-
nimū testificari possem: excogitaui munus
culi genus, nō quo tu magnopere indige-
res: sed quo ego magis, quām vlo alio abū
darē. Platonis Politeian cœpi conuertere.
idq; cū in ipso progressu longiusculū mihi
videretur cupienti quām maturimē & vo-
luntatem meā declarare, & quoddā quasi
specimen ingeniali mei, sub aciem iudicij
tui adducere, ad eiusdē Platonis Politicū
transfī. Huius quoq; dialogi cum animad-
uerterē admodum obscurā intelligētiam,
ad Sophisten me contuli, qui est in eadem
τετραλογίᾳ tertius, dialogū obscurissimū
quidē illū, sed qui vt intelligatur, nihil o-
pus est Politico, cū hic illo magnopere in-
digere videatur. Hunc mi Vigli ne cona-
rer lati

rer latino sermone conuertere, nihilo magis sum Ficini versione deterritus, quam quosdā præstantissimos viros à Dioscoride, Galeno, Hippocrate, & ab Aristotele ipso arcuit, quod eos viderent prius ab alijs esse cōuersos. Evidē quanquā Ficinū singulari quadā laude dignū putē, eumq; inter bene meritos de Repub. literaria non postremo loco esse numerandum, sed omnino statuam meruisse auream, qui tātum laborem, tamq; utilem exantlauerit, tamē eum esse Platonem arbitror, in cuius interpretationem omneis omnīm doctorū nerui intendantur, omnium stili hebetentur, & conterantur. Nec dubito quin ipse Ficinus, quo candore fuit, aut certe quo es se pro sua philosophia debuit, si viueret, aut si quis harum rerū sensus etiam post fata superest, non mō nō ægrē latus vnū sit, sed optatus etiam sexcētos Platonis sui interpretes, vt aliquis saltem inter tā multos possit existere, qui quoniam paucos mortaleis ipsarum rerum pulchritudo capit, atq; inter hos etiam pauciores sunt Græcis literis eruditī: latini sermonis vberitate atq; elegātia, lectori vel inuito doctissima atq; utilissima Platōis inuēta, pulcher nimisq; cogitationes instillet atq; ingerat.

A ij Vt

Vt autem non negem Ficinū mentē Pla-
tonis satis ipsum quidē esse assecutum : &
fuisse aetatis suae penē summum Philoso-
phum: illud tamen, opinor, nemo facile cō-
cesserit, eum quod ipse intellexerat, satis a-
perte, aut satis etiam latine fuisse interpre-
tatum: id ei saeculine vitio, an nimia festi-
natione, an alia qua caussa acciderit, alijs iu-
dicent . Atque ut de me quoque pauca di-
cam, hoc in mea versione vsus sum institu-
to, vsuruspq; sum deinceps, si, quemadmodū
constitui, ad alia Platonis accessero , vt a-
nimum, ac mentem Platonis: si non elegan-
ter, at certe fideliter: si nō ornate, at quam
maxime possum , dilucidē latineq; propo-
nā. Quid autē præstiterim, id quoque alijs
æstimandum relinquo:nūc ad argumentū
dialogi breuiter explicandū me conferam.
Cū videret Plato, & sua aetate & paulo su-
perioribus saeculis, quanta Sophistarū ex-
istimatio, quātaq; autoritas esset: Soli enim
mortaliū pro sapientibus habebātur, &
plāeriq; se Rethores , vt Gōrgias, alijs alijs
vocabulis nominabāt, quod Sophistæ vo-
cabulum cœperat iam esse suspectius , alijs
īd quod erant, Sophistas se profitebantur,
īdque defendebant, vt præclarissimum no-
men, atq; honestissimum. Horum de nume-
ro fuit

ro fuit eximius ille Protagoras , quē dicit
 Plato plus annis quadraginta in Græcia
 sapientiē disciplinā professum , & maiorem
 pecuniam cōtecisse , quām decem Phidas.
 Item Hippias ille qui se iactat plus pecu-
 niæ lucrifecisse , quām duos alios secundū
 se præstatiſſimos sophistas . Hæc igitur cū
 videret , animaduerteretq; , quantum detri-
 menti rebus pub. propter hanc existima-
 tionē suam afferrēt , quod & loculos iuuen-
 tutis exinanirent , & animos prauis opin-
 ionibus , pestilentibusq; imbuerent : ope-
 rę precium se facturum putauit , si discrimi-
 na Sophistæ , id est eius qui se philosophū
 simularer nec esset : & veri , germanique
 philosophi ob oculos poneret : vt & optime
 internosci ex vtriusq; descriptione : & agni-
 ti , aut odium condignum possent , aut me-
 ritum amorē apud homines inuenire . Hoc
 fuit institutū Platonis , atque hæc causa ,
 cur & Sophisten , & Sophistas , & alios mul-
 totus dialogos scripferit . Quid enim pestilen-
 tius excogitari potest , quā pro vero since-
 rōque sapientiæ studio , fucatā quandā eius
 imitationem atque adumbrationem colit ?
 aut enim hoc est , aut certe nō video , quid
 sit Ixionis more nubē pro Iunone amplecti-
 atq; mirari . Sum autem mirificè huius dia-

A iii logi

Iogi interpretatione delectatus, quod in eo
sophisticen ita uideré esse dipictā, ut nō po-
tuerit pictorū ille præstantissimus calum-
niā illā suā Ptolomæo γραφικώτεροφ ad-
umbratā delineatamq; proponere. Intelle-
xiq; nō illo tantum sæculo, sed & nostro,
& omnibus téporibus illis quæ media in-
ter nos ac Platonem fuerunt, in omnium
artium disciplinarumq; aluearia sophisti-
cen quasi fucum quendam irrepisse. Hæc
ita esse ex ipso Platone optime intellige-
tur: eritq; hic dialogus post Theætetū le-
gēdus. Inquirit enim τὸ δόμ, quod expetitur
ab omni sciētia, quoq; tanquā ad scopū ali-
quem omneis sermones nostri, cogitatio-
nesq; & studia referuntur. Hanc meam lu-
cubratiunculā vir præstantissime, si pro-
meo erga te animo, & pro dignitate Pla-
tonis acceperis, vix quidquā video, quod
tibi possit accidere gratius. Mihi quidem
certe non mediocre calcar accesserit, si hāc
opellam meam qualiscunque fuerit, tibi,
ruiq; similibus non omnino ingratū esse
cognouero. Vale vir excellentissime, Tia-
ramq; tuum, vt hominem tibi deditissi-
mum, atque amicissimum amplectere.
Datum Louanij ipsis Martinalibus.

PLATO^s
NIS SOPHISTES,
*sive de eo quod uere esse
dicitur.*

PERSONAE.

Theodorus. Socrates. Hospes Eleates.
Theætetus.



DSVMVS attemperato gra-
du, Socrates, quemadmodum he-
ri constitueramus : neq; ipsi so-
lum adsumus, sed etiam hospi-
tem quendam adducimus Elea-
ten : itemque alterum quendam de Parmenidis,
Zenonisq; familia, hominē cum primis philosophū.
SOCRATES. Potestne fieri Theodore, ut non
hospitem, sed deum aliquem imprudens secun-
dum Homeris sententiam adduxeris? Ait enim ille,
cum alios deos inter homines saepe uersari, quibus
modestia rectisque pudor inest, tum quendam
hospitalem deum non raro rebus hominum inter
esse

PLATONIS

esse, eosque comitari, cōtemplantem, quid inter eos iustè, & ex legibus, quid item iniuriose, contumeliosèq; fiat . fortasse igitur hic quoque ex aliqua præstantiore natura , eo te securus es t, ut hic nostram in disputādo tarditatem, inscitiamque cognosceret, deus aliquis reprehēsor hominū, ac refutator.

THEOD. Non est id huius nostri hospitis institutum, Socrates, adeoq; longe moderatior est , quam plæriq; eorum qui se ad litigandū comparauerunt , Nec uero mihi quisquā hominū deus ullo modo uidetur, cùm non negem quosdam esse diuinos . Nam philosophos omneis diuinos soleo nominare . S O C. Recte facis amice : quanquā ego hoc genu hominū, quos philosophos uocant, propè dixerim, non multo facilius esse diiudicatu, quam deorum. Omnino enim hi qui uerè , non fictè philosophantur , sub omni genere formarū sese nobis exhibere, & offerre, propter nostram inscitiam, iudiciorumq; imbecilitatem uidentur, & ijdem.

Oppida nostra obeūt: uicosq; & compita lustrat, respectantes quasi de loco superiore inferioris uitæ humilitatem: atq; alij eos nihil aestimant, alij quāuis esse precij putant. Et nunc regendis ciuitatibus idonei iudicantur, quos politicos nominant : nunc sophistarum speciem præ se ferunt. Nec desunt inter-

interdum, quibus grauiter etiam insanire uideantur. Ac per, mihi, gratum fuerit audire ex hoc nostro hospite, si illi item esset non ingratum, quo modo civeis eius de hisce rebus existimare soleat, aut quibus eas uocabulis nominare. THEOD. Quas res narras? SOCR. Sophisten, & eum quem politicon ab administratione urbium, & quem ab amore sapientiae philosophum appellant.

THEODO. Quid est, aut quale tandem, quod hisce de rebus ambigens statuisti hospitem interrogare? SOCR. Dicam: quærerem utrum putarint hæc nomina eodem omnia referri, an ad duo quædam pertinere: an quemadmodum tria sunt nomina, sic item tria genera constituerint, & singula uocabula suis generibus adaptarint. THE. At nulla, opinor, iniuria impediet hospitem, quo minus eam quæstionem explicet. quid? num aliter censes hospes? HOSP. Ego uero idem censeo. Nam neque quidquam est impedimenti, neque erit admodum difficile dictu, tria illos rerum genera posuisse: sed me hercule, definire quid quidq; sit, id uero opus est, neque exiguum, nec facile, atque expeditum. THEOD. Et tu casu, opinor, addu etus es Socrates, ut disputationem ordire similiam quæstionibus ijs, ad quas nos quoque eadem forth

PLATONIS

fortuna deduxerat: & hic noster hospes idem tunc quoque respondebat, se de his cum frequenter audisse, tum satis etiam meminisse, quid Eleatae sui senserint. S O C R. Dabis igitur hanc nobis ueniam hospes optime, neque petitionem nostram primā præsertim repudiabis. Sed dic mihi, longāne ac perpetua oratione soleas quidquid docendum sumeres explicare: an per interrogatiūculas malis, quē admodum ego Parmenidem audire memini pulcher time disserētem: cum ego adolescens, ille iam senec erit effici affectus. H O S P. Sane si is qui cum agas Socrates, moderate respondeat, & commode, expeditius cum alio disputatur: si necū, facilius ab uno peroratur. S O C R. Licebit igitur de præsentibus quem uoles eligas. parebunt enim omnes, & lubenterquidem. Ac si me audies, aliquem ex his adolescentulis delige, aut hunc Theæterū, aut si quis erit aliis quem forte malis. H O S P. Pudor me Socrates impedit, solum, prima præsertim congreßione, totum occupare sermonem: neq; eum (quod aiunt) uicissim de manu in manum tradere: sed quasi ostentādi mei causa, uel ut dixi solum, uel etiam ad alium continua re orationē, in longumq; producere. nam (sicut paulo ante dictum est) nemo hanc quæſtionem, quia breui proponitur, breuem quoque etiam esse confidat. longissimam

gissimā enim disputationem requirit. At tibi tamē non gratificari, & hisce omnibus, cum præsertim tu isto modo rogaueris, nec dignum comi & urbano hospite, nec humanum uidetur. Nam quod mihi Theætetus inter disputandum collocuturus est, id prospicere accipio & amplector, cum ob eas caussas quas sibi pra dixi, tum quod tu me ita facere iussisti. THE. Perge uero hospes, teq; puta, quemadmodum ait Socrates, gratissimum nobis omnibus esse facturum. HOSP. Videtur satis ad hæc quidem esse responsum Theætete: tecum autem, quantum intelligo, deinceps omnis mea ponetur oratio: in qua si quid tibi molestiæ ipsa afferet longitudo, memento non me, sed hos familiareis tuos accusare. THE. Evidem non puto futurum uti defatiger: se dī si qua tamen nobis obuenierit lassitudo, assumemus hunc Socratē, Socrati illum quidem cognominem, sed mihi & ætate, & exercitationū societate coniunctū, cuime cum labores comunicare non est nouum. HOSP. Recte dicis: sed de eo tu solus in progressu uideris: communiter autem ante omnia mecum sophistam considerabis: eum ratione inuestigabimus, inuentumq; in lucem proferre conabimur. Nam nunc quidem fieri potest, ut eodem sophistæ nomine utamur: de re ipsa aliter tu, aliter ego existimem.

Oportet

PLATONIS

Oportet autem quacunq; dere loquamur, magis ut de illa constet, uerbis & oratione contendere, quam sine explicatione, nominibus consentire, re discrepare. Atq; hanc quasi gentem, quam nunc statuimus indagare, nemo potet facilium esse deprehendere, ut quid sit Sophistes rite definitur. Res autem magnas & excellentes, quarum cognitionem perfectam esse absolutamq; oportet, eas nos in exiguis & facilioribus ante debere meditari, communis est omniū, & per antiqua sententia: deinde satis in his exercitatos ad illas accedere. Hoc modo nobis hic quoq; censeo Theætete faciendum, ut cum hoc genus, quod sophistam dicimus, difficile ad assequendum, per molestemq; videamus, prius in alio quod sit facilis, huius translationem explicationemq; meditemur: nisi uiam nobis aliquam monstrare procluiores tempotes.

THE. Ego uero qui possim? HOSP.

Visne tentemus igitur rem aliquam minimam ita exponere, ut maioris fiat exemplar. THE.

Sane uolo. HOS. Quid autem potissimum proponemus, quod cum sit ubiq; obuium, & paruum, tamen ad maiora summam proportionem habere uideatur? quid illud pescationis genus in quo arundinibus uiuntur, & aspalieutæ dicuntur ipsi pescatores

piscatores: nōnne res est omnibus nota, nec tam
mens satis digna cui multum temporis diligētiāq;
tribuatur? THE. Sic est. HOSP. Et tamen
in hoc ipso quiddam esse confido, quod quæstionē
hanc commoda quadam ratione adiuvet. THE.
Præclare itaq; se res habebit, siquidem uera præ-
dicas. HOS. Age porrò tandem eum exordia-
mur, in hunc modum. Atq; illud mihi uelim dicas,
inter artificesne eum ponimus, an inter eos, in qui-
bus ars quidem nulla, sed aliaquædam facultas in-
esse uideatur? THE. Evidem minime illum
posuerim omnis artis expertem. HOS. Arti
um autē omnium sunt genera fermè duo. THE.
Quo pacto? HOS. Agricultura, & quidqd ad
cultū, & reliquā curam mortalium corporū perti-
net: tu qdqd in his singēdis cōponendisq; uersatur,
quæ sunt in instrumento ac supellectili, itemq; ars
ea quæ est horum omnium imitatrix, hæc inquam
omnia uno uocabulo licebit appellari, quod maxi-
mè sit aptum & accommodatum. THE. Quod
tandem illud est? HOS. Quæcunq; res cūm
prius nulla esset, alicuius opera cœpisse: eum per
quem esse cœpit, efficere: rē ipsam effici dicimus.
THE. Et recte quidem. HOS. At ea qui-
dem quæ iam enumerauimus, eam uim obtinent
omnia

PLATONIS

Omnia ut eorum munere id quod nusquam ante
fuerit, appareat. THE. Obtinent sanè. HOS.
Hanc ergo uim, quæ in his omnibus cernitur, uno
nomine effectionem uocemus. THE. Placet.

HOS. Iam uero disciplinarum, cognitionisq;
genus uniuersum, tum pecuniae quærendæ ratio:
tum quidquid ad certamina, hostilesq; congressus,
et quicquid ad uenandum captandumq; pertinet,
cum nihil ab his efficiatur, sed ea quæ sunt effe-
cta, aut oratione, aut etiam manu dometur, in po-
testatemq; redigantur: aut ab alijs occupata exci-
piantur: haec inquam ob ea quæ dixi, acquisitio-
nis arte circumscribi poterunt, atq; comprehendi.

SHE. Maximè: et ita conuenire arbitror.

HOS. Quum igitur ars omnis aut conficiat
aliquid, aut acquirat, piscationem eam, cuius meo
minimus, in ultra tandem partè numeramus?

THE. In ea parte nimirum, qua alignid acqui-
ritur. HOS. Quid? acquirendi nonne duo ge-

nera ponimus? ut sit alterum, cum sit inter aliquos
communi consensu, et voluntate mutatio, aut do-
natione, aut emptione atque conductione: alte-
rum, quod totum in occupatione uersatur, eaque; aut
uerbis aut opera perficit: quod genus, occupatio-
nem rectè fortassis appellabimus. THE.

Theas

THE. Certe consentaneum est ijs quæ supra diximus, ita uocari. HOS. Quid? hanc ipsam occupationem putásne bifariam diuidendam?

THE. Quo tandem modo? HOS. Ut quæ sit aperte & palam, concertationem eam nomine-
mus: quam uero ex occulto machinamur, captationem uocemus. THE. Maxime. HOS.

Hanc quoq; ipsam fuerit absurdum non distin-
guere bipartitio. THE. Ergo distingue quæso.

HOS. Ut altera inanimateorū captatio uo-
cetur, altera animatorū. THE. Rectè, siqui-
dem ambæ sunt. HOS. Quid ni sint? Atque eam quidem, quæ ad inanima pertinet, & uacat nomine, ne laboremus nomine illustriorem red-
dere: omittamus etiam ea captationis genera, quæ sunt urinatorū & natatorū propria, & alia quæ
dam minuta generis eiusdem: eam uero qua per-
sequimur animata, captationem uocemus animan-
tium. THE. Appelletur ita sane. HOS.

At huius quoq; nonne duo genera ponenda sunt?
Vnum quo terrenas bestias consecutamur, quod cū
multis & nominibus & generibus diuidatur, à no-
bis terrestris captatio nominetur: alterum genus
quo natantibus insidiæ comparantur, aquatilium
captationem hocemus. THE. Fiat. HOS.

PLATONIS

Et nantium quædam uolatilia sunt, alia perpetuo aquas incolunt. THE. Scilicet. HOSP. Ac uolucribus quidem quæcunque tenduntur insidiae, accupij vocabulo continentur. THE. Sic est. HOSP. Quæ aquatilibus, piscationis. THE. Verum. HOSP. Quid? pescationem nonne in duas partes tribuere possumus, & eas quidem maximas? THE. Quas? HOSP. Altera sepimentis & quasi carceribus utitur: altera perficitur ictu. THE. Qui uero? & quæ nam ista diuisio' est? HOS. Ea quibus custodiæ causa coercemus aliquid & includimus, consepimenta & carceres vocari consentaneum est. THE. Plane ita est. HOS. Nasses quidem & retiæ, & laqueos & euerricula, & quæ sunt his consimilia, quo potius nomine signabimus? THE. Haud scio sanè. HOS. Ergo hoc quidem capturæ genus, carcerarium, ut ita dicā, vocetur, aut simili quopiam nomine. THE. Sanè HOSP. Nam illam captādi rationem quæ cæsim fit, hamis, & tridentibus fuscinis, cum sūt alia quam cuius proxime meminimus: hoc quidem tempore neceſ se habebimus, ferientem nominare pescationem: aut si quid commodius ac pulchrius Theatete possumus inuenire. THE. Ne queratur aliud,

CHM.

cum hoc ipsum satis facere videatur. HOSP.
Porro ferientem quam diximus, quum noctu sit
ad lumen ignis, ipsi pescatores igniariam appella-
uerunt. THE. Vera narras. HOSP. Quam
autem luce sit, inhamatio dicitur, quod etiam fu-
scinæ extremis partibus aduncae sint & hamatae.
THE. Ita nominant. HOS. Inhamatio-
ne autem eam, quæ cæsim fit deorsum ex locis su-
perioribus, quia tridentibus in ea fere uiuntur, tri-
dentalem (ut opinor) uocant. THE. Ita video
quibusdam usitatum. HOS. Solam igitur illam
speciem restare dixerim. THE. Quam uero?
HOS. Contraræi percussionis quam ea est quæ
diximus, quæ & ipsa hamo sit, nec qualibet parte
corporis, ut fuscinæ uerberat prædam, sed in capi-
te semper & in ore, & sursum uersus eam uirgis
& arundinibus extrahit: cuius nomen Theætete
quod tandem putas esse oportere? THE. Exi-
stimus id quod paulò ante constitueramus quæ-
rere, id iam esse nos consecutos. HOSP. Ergo
piscationis eius, quam arundinariam appellant, &
extrahentem, quam nobis communiter inquiren-
dam statueramus, non modo nomen inuenimus,
sed etiam tota ratione satis explorauimus. Artem
enim omnem dimidia ex parte diximus in acqui-

B ij sitione

PLATONIS

fitione uersari: Acquisitionem in occupatione.
Hanc in uenandi captandiq; generibus. Capta-
tionum alteram partem in animalium uenatione
consumi. Huius partem aquatilia persequi: & hu-
ius uenationis ea pars quæ imarimatur, pescatio
dicitur. At uero pescationis alteram partem iectu
diximus confici: Huius partis unam speciem uo-
cauimus inhamationem: cuius ea pars est una,
quæ quod ex fundo in altum extrahit, idq; facie
iectu in superiora tendente, nomen habet ab ipsa
actionis similitudine expressum, estq; ea quam
hoc sermone perquirimus ἀσπαλιευτική, uel
ut pluribus uerbis significatius dicam, sursum edu-
cens extrahensq; pescatio. THE. Satis hoc
quidem est explicatum. HOS. Ad hoc igitur
exemplar age Sophistam exploremus, quid tan-
dem eum esse dicamus. THE. Fiat. HOS.
At illud initio quærebatur, rudēmne omnis artifi-
ciū hunc nostrum pescatorem dicere, an artificem
debeamus. THE. Ita quæsum est. HOS.
Idem nunc quoque Theatete quæro de Sophista,
imperitū ne illum, an uere quod dicitur, eum So-
phistam esse dicendum est? THE. Equidem
nihil minus, quam imperitū eum dixerim. facile
enim intelligo eum qui tale nomen nactus sit mi-
nime

nime rudem esse oportere. HOS. Ergo artem ei quandam debere tribuere uidemur. THE.

Quam tandem censes? HOS. Itane per deos immortales hucusq; nesciuimus tantam horum inter se coniunctionem, tantamq; quasi cognationē?

THE. Quam cognationem dicas & quorum? HOS. Piscatoris eius qui hamis & arundinibus prædam extrahit, & Sophistæ. THE. Quomodo? HOS. Vterq; captator est, mea quidem sententia. THE. Quam prædam alter horum consecutatur? nam de altero diximus. HOS.

Bipartito capturam omnem paulò antè diuisimus, ut effet aut natantium, aut terrestrialium animaliū.

THE. Ita factū. HOS. Et ea quidē persecuti sumus, quæ ex aquatilibus nando mouentur: terra non dum diuisimus, hoc tamen diximus multiplicem eorum esse diuisionem. THE. Hoc quoque factum. HOS. Hactenus igitur sophista cum piscatore coniunctus est: ex eadem enim acquirendi arte proficiscuntur. THE. Enim uero uidentur. HOS.

Sed ab animalium consecratione quæ communis amborum est, alter ad maria, & flumina, paludesq; deflectit, ut eoru indigenas beluas capere possit. THE. Sic est. HOS.

Alter ad terram & ad alia quædam flumina, ac

PLATONIS

prata iuuentutis & opulentiae plena diuertitur,
ut quicquid illic animantium pascitur id comprehendat atque occupet. THE. Planius uellem diceres. HOS. Terrestris omnis uenatio in duas maximas partes distribuitur. THE. Quas eas poniss? HOS. Vnam cicurum, ferorum alteram.
THE. Itane cicurum quoque aliqua uenatio est? HOSP. Siquidem homo in cicuribus ponitur. Tu uero pro tuo arbitratu statue, uel ut nullum animal mansuetum esse dicas, uel ut alia concedens, hominem neges cicuris esse naturae: uel etiam ut hoc quoque concedas, sed hominum uenationem esse nullam putas: horum omnium quid tibi maxime gratum sit asseuerari, uelim proferas. THE. Ego uero & homines esse mansuetos puto, & aliquam hominum esse uenationem. HOSP. Hanc quoq; ergo cicurum uenationem b'fariam partiamur. THE. Quibus partibus? HOSP. Latrocinari atq; prædari, rapere homines ad seruitutem, tyrannidem inuadere, ac tota res militaris in uno uiolentiæ captationis genere collocentur. THE. Pulchre. HOSP. At uero quidquid ad forum & ad iudicia pertinet: tum etiam quidquid ad animos hominum, uel concionibus, uel etiam sermonibus deliniendos referitur.

refertur, id omnes sub una fidei facienda arte comprehenditur. THE. Recte. HOSP. Huius etiam artis quæ ad fidem faciendam pertinet, duo genera ponimus. THE. Quæ tandem, & cuiusmodi? HOS. Alterum priuatum est: alterum publicum. THE. Sunt ergo genera duo. HOS. Porro captatio qua singulos uenamur, aut officio & opera constat, aut largitione. THE. Non satis intelligo. HOSP. Ad amantium captationes nunquam uideris animum attendisse. THE. Qua de re? HOSP. Quod iam capitatis adiiciuntur à captatoribus munera. THE. Vera sunt quæ narras. HOS. Sit igitur hoc quidem amatoria artis genus. THE. Sit ita sane. HOSP. Alterum quod in officio uersatur operaq; nauanda, si in congressibus & in familiaritate gratiae cauſſa faciat omnia, & ubiq; uoluptate pro esca ad irretiendos familiareis abutatur, idq; nulla mercede, niſi ut edat ac bibat, adulacionem (ni fallor) hanc omnes uocabimus, quæ sit quasi arcuadæ culinaria. THE. Merito ita putas. HOSP. Sin se sermones suos, atque congressus, ad uirtutem dirigere profiteatur, & hoc præferrens mercedis loco nummum exigat, an non censes hominem quislibet huiusmodi alio nomine uocari

PLATONIS

debere? THE. Dubiumne id est? HOS.

Quod erit illud nomen age conare proferre?

THE. Nimirum Sophisten inuenimus, siquid ego iudico: & ita eum appellans, recte mihi uideor nominaturus. HOSP. Quantum ex his omnibus quæ dicta sunt confici Theætete potest, sophisticen, ut opinor, nominabimus eam, quæ cū habeat artem insinuandi se penitissime in animos hominum, eosq; occupandi, tum etiam rationes tenet omneis, quibus consequi & capere possit amictia, quæ gradientia, terrestria, mansueta, deniq; homines uocamus: eam captatione priuatim, mercede, & accepto nummulo exerceat, simulatione & ostentatione doctrinæ, atque ita adolescentulos nobileis, ac diuites adoriatur. THE.

Aut ea est aut nulla sophistice est. HOS. Iam uero hoc quoque modo consideremus. non enim ludicrum est id quod inquirimus, nec cum leui aliqua arte coniunctum, sed in qua sit cùm elegancia, tum uarietas etiam maxima. nam ex ijs quæ sunt dicta, aliud mihi quiddam uideor uidere, non hoc genus hominis quod hoc tempore à nobis asseueratum est. THE. Quid ita? HOS. Totam acquisitionis industriam bipartito secueramus. Altera pars captandi rationem, altera com-

mercia

mercia continebat. THE. Ita enim diuisera-
mus. HOS. Nunc cōmerciorum quoq; rerūq;
contrahendarum duo genera ponamus, alterum in
donatione: in emptione, atq; uenditione alterum.
THE. Sit ita sane positum. HOS. Hoc ue-
rò posterius & ipsum bifariam diuidemus.

THE. Quanam diuisione? HOSP.
Vna pars in priorum operum, altera in alieno
rum uenditione ac distractione & permutatio-
ne uersatur. THE. Ita est. HOSP. Et
horum aliena uendentium pars ferè dimidia,
quæ manet in urbe, nōnne institorū cauponumq;
uocabulo continetur? THE. Sanè HOS.

Alteri qui migrant ex urbe in urbem, ut emant
& uendant, nonne negotiatores appellantur?

THE. Maxime. HOS. Iam totius nego-
ciationis an non intelleximus unam partem eo-
rum esse, qui quæ ad uictum corporis pertinent,
uendunt, alteram eorum, qui ea quæ ad animi pa-
bulum spectant, nummulo mutant? THE. Quid
dicas nondū video. HOS. Quæ de animi pabulo
dixi, fortasse minus intelliguntur: nam de corpo-
re nemo est quin intelligat. THE. Verum.

HOS. Musicam & quidquid musica contine-
tur, uidemus quotidie in alijs ciuitatibus emi, inde
in

PLATONIS

In alias atq; alias uendēdi caussa inuehi: idemq; de scriptis fieri: itemq; de ludicris præstigiatorum artibus, & alijs innumeris, quas animi gratia inuentas, & uel ad oblectationē eius, uel ad studia grauior anatas, circumferri uideamus diuendiq; opipidatim. nec uero minus eos qui hæc uendunt, mercatores esse dicendum est, quam qui esculenta & poculenta in foro uendunt. THE. Nihil uerius. HOS. Quidē illum ne eodem uocabulo dignaberis, qui coemit quidquid ad disciplinas pertinet, & ut eas nummo permutet, alias ciuitates atq; alias obit? THE. Dignabor. HOSP. At huius mercaturæ quæ ad animum spectat, una partem, quoniam in oblatione consumitur, ostentatrix iure dici arbitror: alterā partem, non minus illā quidē ridiculā, sed quia tamen disciplinas rum uenditrix est & prostituutrix, cognato uēditionis uocabulo nominari necesse est. THE. Placet. HOS. Nec uero eorum qui docent precio, eodem uocabulo signabuntur ij, qui cæteras artes tradunt, atque ij qui uirtutis arteis disciplinasque profitentur. THE. Assentior. HOSP. Ergo illos artium opificiorumq; uenalitios uocemus: huic autem generi, tu uelim conère nomen dare. THE. An aliud ei nomen rectè quisquam posse

est imponere, quāmid quod nūc in quæstionem
uocatur sophistæ HOSP. Nullum. Ergo in
hunc modum age colligamus. Acquisitionis eam
rationem, quæ mutatione conficitur: & contra-
hendi genus illud quod negotiatio & importatio
dicitur: & eamne gociationem quæ animi est, &
qua uæneunt præcepta disciplinæq; uirtutum, So-
phisticen secunda consideratione nostra uideri.

THE. Ita est planè. HOSP. Ne illum quis-
dem, opinor, Sophisten esse negabis tertij gene-
ris, qui cùm sedem suam ac domicilium in urbe ali-
qua collocarit, quædam harum rerum, de quibus di-
ximus, præcepta precio comparat, alia ipse archi-
tectatur, atque inuenit, ijsq; diuendendis uitam su-
am sustinet. THE. Nam qui possum negare?

HOSP. Cùm si igitur in acquisitione mutatio,
& emptionum, uenditionūq; contractus, & uel
institoria operum alienorum, uel propria suorum
uenditio: quidquid horum omnium in doctrina-
rum traditione uersatur, id à te omne quantum su-
spicari licet, in instrumento sophisticō ponitur.

THE. Ac necessario quidem, si rationem se-
quimur, na ut æquum est. HOSP. Iam & hoc
concederemus, an illi rei simile uideatur, quod hoc
tempore nostra persequitur oratio. THE. Cui
rei

PLATONIS

rei & quali? HOS. Acquisitionis speciem quan-
dam concertatione diximus confici. THE. Ita
factum. HOS. Itaq; non fuerit alienum eam
quoque rationem bipartiri. THE. Quibus par-
tibus? HOS. Ut altera sit in ludicris certami-
nibus posita, altera in contentionibus serijs.
THE. Rectè. HOS. At harum contentio-
num eam partem, quæ fit armorum corporumq;e
conflictu, recte fortassis appellabimus, si uiolen-
tam nocemus. THE. Maximè. HOS. Eam
uerò partem, quæ intra uerba se continet, oratio-
nisq; contentionem, uidemur ne Theatete disce-
ptationem rectè nominaturi? THE. Quid ni?
HOSP. Hæc quoque bipartita facienda est.
THE. Quamobrem? HOS. Cum publicè
oratione longa aduersus orationem item longam
de iure contenditur, iudicallis ea disceptatio est.
THE. Sic est. HOSP. Sed si priuatim mi-
nutis interrogatiunculis concisa fuerit oratio, idq;
fiat uicissim, nonne eam altercationem nocare con-
sueimus? THE. Maximè. HOS. At hu-
ius eam partem, quæ ex rebus contractis nascitur,
sed & temerè fit, & arte caret, habeamus sanè
pro specie, cum eam dignoscat ratio ab alijsq; se-
iungat, sed ei uocabulum nec superior ætas dedit,

nec

nec nobis ut aemus, magnopere censeo laborandum. THE. Vera narras. HOS. Est enim & uarijs, & exilibus admodum partibus secta atque diuisa. Eam uero partem, quæ artificium habet, & aut de iure, aut de alijs rebus instituitur, litigationem solemus uocare. THE. Est ita. HOSP. Ac litigationum species altera patrimonium dissipat, altera pecuniam conficit. THE. Ne hoc quidem falsum est. HOSP. Proinde utrumq; suo nomine conemur appellare. THE. Certe conandum est. HOS. Ac mea quidem sententia, quicumq; uoluptatis cauſſa quam ex litibus percipit, rem negligit familiarem, & ne hoc quidem affequitur loquendo, ut à multitudine cum uoluptate audiatur, hunc nugatorem, & inepte loquacem uocamus. THE. Scilicet. HOS. Eū cōtra, qui quæſtū ex priuatis litibus percipit, & rē facit, tu uicissim, si placet, nomina. THE. Ecquis aliorursum uocabulo possit uti sine errore, quam mirabili illo quod iam quartum, inquirentibus nobis recurrit, sophistæ? HOS. Apparet igitur Sophistam nihil aliud esse, quam hominē faciendæ pecuniæ gnarum, artificio litigatorem, quod ipsum artificium sub altercatione comprehenditur, quæ rursus disceptationi subiicitur, hæc serijs

PLATONIS

serijs contentionibus, hæ concertandi specie conser-
tineatur. Concertatio ut iam ostendimus sub ac-
quisitionis genere ponitur. THE. Profsus ap-
paret. HOS. Ergo uides optimo iure uariam
dici hanc, & multiplicem bestiam, nec una manus
comprehendendam, ut est in ueteri Proverbio.
THE. Video me hercule ambabus opus esse.
HOSP. Omnino, & ita faciendum est, ut hanc
beluam quo dixi nestigio persequamur, sed dic mi-
hi, est ne usus apud nos quorumdam seruiliū no-
minum? THE. Est, & multorum quidem, sed
quæ sunt ista quæ tu requiris? HOSP. Huiusmo-
di sunt, colare, succernere, deglubere, euannare.
THE. Profsus hoc genere uocabulorū utimur.
HOS. Tum illa quoq; dicimus carminare, didu-
cere, pectinibusq; distinguere, & alia sexcentas
quæ similia sint, in opificum artibus mueniri pu-
to. THE. Sed quid est tandem, quod de hisce
rebus explanare cupiens, pauca exempla ad inqui-
sitionem omnium rettulisti? HOS. Quæ dictæ
sunt fere diuidendi uim habent omnia. THE.
Sic est. HOS. Itaq; quantum existimare possum
cum una sit ars quæ uersetur in his omnibus, uno
etiam eam uocabulo cœsebimus nominandā. THE.
Quonam potissimum? HOS. Secernēdi artem
uocabimus.

ocabimus. THE. Vocemus. HOS. Hic quoq; circunspice, & an duo genera possimus reperire considera. THE. Tu uero celerem considerationē, ut à me quidē, postulas. HOS. Verū enim ex his secernendis generibus quæ diximus, illud superius, à meliore quod deterius est separat: posterius genus simili adiuidit. THE. Quod dicis, nihil abhorret à uero. HOS. Horum autem alterius ego nomen quod usurpetur non habeo dicere: alterius in quo meliora seruantur, deteriora reiiciuntur, hæ beo. THE. Dic quæso. HOS. Talem ego segregationem ubiq; purgationem vocari audio.

THE. Enim uero vocatur. HOS. Quis autem hanc quoq; diuīm generum esse nō uiderit? THE. Fortasse si quis oco se consideret: at mihi nihil hoc quidem tempore liquet. HOS. At uero cēso laborandum, ut omnes purgandorum corporum formas uno vocabulo complectamur. THE. Quas formas, quo vocabulo? HOSP. Quidquid in corporibus animantium rectè secernitur, & ipsa segregazione purgatur, eorum maxime industria, qui artem medendi exercendique profitentur: & quidquid item extrinsecus corporibus inhaerens, balneariorum ministerio tollitur, qualia multa sunt, nec satis digna memoratu:

PLATONIS

cum illa quoque quæ corporibus inanimatis man-
gonio, & arte fullonia detrahuntur: hæc inquam
omnia varijs nominibus & humilibus, & plerūq;
ridiculis nuncupantur. THE. Plane. HOS.
Plane ita est mi Theætete. At enim ad hanc no-
stræ disputationis ineundam uiam, nihil in ullam
partem interest, quod minus utilitatis ex spōgia-
rum districtu, quam ex medicamenti potionē ca-
piatur. Ut enim omnium artium intelligentiam
adipiscamur, earumq; inter se cognationes repu-
gnantiasq; cernamus, nulla nobis ars ad hoc ipsum
alia præstantior debet existimari, nec eorum quæ
similia uidebuntur quidquam altero magis ridicu-
lum putari, nec uero quidquam intererit ad speci-
em, & ad honestatem, utrum militiæ, an pedicu-
lorum capiendorum similitudine eam artem ex-
plicemus, quæ tota quemadmodum diximus, in ca-
ptatione uersatur: quin etiā inaniora, quæ uidebū-
tur splēdiora, ducemus. Quod ipsum etiā in hac
quæstione usu uenit, qua interrogasti, quibus no-
minibus tot purgandorum corporum facultates
uocaremus, siue erunt animata quibus purgatio ad-
hibebitur, siue inanimata: nec refert id quod dice-
tur, præclarūne dictu, an humilius esse uideatur.
Satis enim erit, si præter animum cæterarum o-
mnium

mniū rerum purgationes una complexione deuin-
ciet. Nam animi quidē purgationem ab alijs distin-
minare & ratio & disputatio nostra conata est, si
modo intelleximus superiora. THE. Ego uero
cum illa intellexi, tum etiam assentior, duas esse pur-
gandi species, unam in animo inesse, diuersam, &
aliam, quam quae sit in corpore. HOS. Optime. atq;
in eo quoq; mihi obtempera, ut hanc ipsam mentis
abstersionem conere bifariam dissecare. THE.
Evidem id libens tecum experiar, atque obsequar
quo me cunq; deduxeris. HOS. Quid, aliud ne in
animo uirtutem, aliud uitium nominamus? THE.
Maxime. HOS. At purgationem quidem diximus,
cū relictis bonis mala, uitiosaq; expellimus. THE.
Ita dixeramus. HOS. Consonum erit igitur, si quam
in animo uitiorū amotionē inuenerimus, eam animi
purgationem uocare. THE. Ita omnino arbitror.
HOS. Atenim duorum esse generum animi uitia
dicendum est. THE. Quorumnā? HOS. Alterum
esse quasi morbum in corpore, alterum habere
quandam deformitatis similitudinem. THE. Nō
assequor. HOS. Morbum fortassis, & seditionem
non idem esse arbitraris, THE. Ne ad hoc quidē
habeo quid respondeam. HOS. An aliud seditionē
putas, quam rei simplicis naturaque sibi cognatæ, ex

C aliqua

PLATONIS

aliqua diffensione corruptionem: THE. Nihil sa-
ne. HOS. Quid deformatē aliud esse censes, quā
cū id quod genere est idem, partī immoderatione
deprauatū est: THE. Nihil aliud existimo. HOS.
Iam in animis nō bene affectis, nunq̄ ne uoluntatē
cupiditati, iram uoluptati, rationē ægritudini con-
trarium sensimus: & in his omnibus summam esse
discordiam: THE. Nos uero sensimus, & ualde qui-
dem. HOS. Et tamen inter hæc ipsa cognatio quædā
necessaria est. THE. Nā qui possit nō esse summa:
HOS. Ergo si uitiū seditionē animi esse, morbumq;
dixerimus, nihil à nobis in definitione peccabitur.
THE. Rectissime isto modo definierimus. HOS.
Quid, quæ in motu posita, scopū aliquem appetunt,
sed singulis appetitionibus præteruehuntr & aber-
rant, rectāne moderatione & conuenientia par-
tium, an cōtra immoderatione putabimus aberrare?
THE. Immoderatione scilicet. HOS. At animum
quidē omnē scimus in iuitū in aliqua ignoratione uer-
sari. THE. Nemini dubiū id quidē est. HOS. Ea ue-
ro ignorantia quæ est, cū animus ad ueritatem nititur,
sed acies ipsa mentis non satis collineat, nihil aliud
quām quædam desipientia putanda est. THE. Ita
prorsus existimo. HOS. Sequitur, ut animus stu-
tus, & turpis, nec apte compositus haberi debeat.
THE. Sane uideiur. HOS Itaq; duo se nobis gene-

ra animi malorū offerūt, alterū quod uitium uulgo nominat, estq; morbus animi certissimus. THE.
 Ac lōge quidē certissimus. HOS. Alterū appellatur illud quidē ignoratiæ nomine & inscitiæ, sed eā solius animi uitiiū esse propriū ac præcipuū, id uero re cusant cōcedere. THE. Sed tamē id de quo cū diceas res paulo antè, dubitabā, id nūc omnino concedēdū arbitror, & animo nostro duo genera uitiorū esse tribuēda: ut timiditas, inieperatia, iustitia, morbi nostri uocētur: ignoratiā aut, & omnis animi affe ctio cū aliqua ignoratione coiuncta, deformitas eius habeatur, ac turpitude. H. Quid: an nō uidemus corporis duabus his affectionibus totidē esse cōparatas arteis? T. Quas uero? HO. Deformitatē exercitatio nes corrigūt: ualeitudinē medicina reficere cōnatur. THE. Sane hoc sequi uidetur. HOS. Nōne cōtumelijs, & iniurijs, & ignauiae legitima animaduersio cōstituta est, ars illis coērcēdis omnīū accommodatisse mar. TH. Sane magnā habet uerisimilitudinē oratio tua, quātū humano ingenio indicari potest. HO. Quid inscitiæ quæ tandem ars reperta est, an rectius eā quām doctrinæ uocabulo nominabimus? THE.
 Non puto. HOS. Age porro doctrinæ unūm ne genus ponī oportebit: an plura illa quidem esse, sed duo maxima? THE. Evidem considero. HOS.

Cij Et

PLATONIS

Et ea quidem hac via maximè posse inueniri puto.
THE. Quia tandem hos. Si ignorantia possit ne fieri diuidua, uideamus: nā si hæc erit duplex, certe doctrina nō poterit esse nō duplex: ac necesse erit genera pari inter se numero respondere.

THE. Quid? an tibi alicūde liquet id quod inquirimus. hos. Versatur mihi ante oculos insigni magnitudine ac difficultate quædam inscritæ forma, quæ ab alijs partibus separata atque distincta, cū sit una, tamē paria reliquis omnibus habere momēta uideatur. THE. At quæ est istatandæ forma tanti ponderis ut aīs, tantique momenti? hos. Cum quis ea quæ nescit scire se existimat: atque eam ego causam esse omnium falsarum opinionū puto. THE.

Nec falso putas. hos. Et ab hoc quidem inscritæ generes solo, rudes & indocti homines arbitror non minari. THE. Et ego tibi in eo prorsus assentior. hos. Sed doctrinæ pars illa quæ ex hoc malo hominem eripit, quo tandem appellabitur nomine?

THE. Evidem puto alia doctrinæ genera, opificum præceptis, atq; artibus cōtineri: at eā doctrinā qua rudes & indocti esse desinimus, hic Athenis παιδεῖον, quasi puerilem disciplinam uocari.

hos. Enim uero Theætete sic fere tota loquitur Græcia: sed illud quoque uidendum est recipiat res

res tota diuisionem præterea aliquam, quæ proprio
nuncupari digna sit nomine. THE. Videndum cen-
seo. HOS. Ergo mea quidem sententia hoc quoq;
de quo agimus partitionem accipit. THE. At quo
pacto eam instituimus? HOS. Disciplinæ omnis
quæ quidem uerbis traditur, asperior una uidetur ac
durior uia: altera mollior ac planior semita. THE.
Quas istas uias esse dicemus? HOS. Altera est,
illa quidem patribus conueniens, & priscis tempo-
ribus notior, qua tamē etiam hodie utuntur patres,
si quando filij deliquerunt, nam & acrius obiurgant
interdum, & leniore nonnunquam oratione casti-
gant: quod genus totum monitione cōprehenditur,
& monitionis uocabulo continet. THE. Sic est.
HOS. Altera ratio ex eo maxime nascitur, quod
(quemadmodum qui rem diligenter secum expen-
derunt, putat.) nemo nisi inuitus indoctus est: atq;
itē ex eo quod nemo uult discere ea quæ se scire,
& in quibus esse præstantem arbitretur. In his
enim omnē eam institutionē quæ admonitionibus,
cōtinetur & multilaboris esse & fructus prope nul-
lius existimat. THE. Nec iniuria. HOS. Quā-
obrem ut hanc opinionē euellant atq; eripiant, alia
quadam ingrediuntur uia. THE. Qua quæso?
HOS. Quæcunq; se illi putant, cūm nihil dicant

C iij explicat

PLATONIS

explicare optime, hæc exquirūt sigillatim: mox (ut fit) errantium sententias facile deprendunt, deprensas colligunt, atq; in unum locum conferunt; deinde ipsas sibi de rebus isdē & cū isdē collatas, & ob easdē cauſas docēt esse cōtrarias, quod illi quū uidēt, sibi nimirū succensent, at erga alios placidi fiūt, atque mansueti. Atq; hoc modo à graubus & inuteratis opinionibus liberātur, nec ullo modo uel ad audiēdū gratiore, uel ad permanēdū stabiliore liberari, explicari que possunt, qui eiusmodi sunt sententijs implicati. Nam quemadmodum adolescens optimè corporum medici, nulla cibaria prodeſſe prius arbitrantur, quam ea ſint depulsa de corpore, quæ nutritioni fuerant impedimento: ſic hi qui purgandos animos ſuscepereunt, idem ſibi ſtatuant eſſe faciendum, neque ullum putant animo disciplinarum fructum percipi poſſe, niſi prius eum quem reprehēdunt, ad pudorem refutando adduxerint, ac deinde euulfis ereptisq; ſententijs quæ obſtabant, purum extersumq; reddiderint, ea ſola ſe putantem ſcire quæ ſciat, non etiam ea quæ neſciat. THE. Optimum uero ſatum animi temperatissimumq; depingis. HOS. Ex his efficitur Theatete refutationem, & maximam, & ſummam eſſe purgationem, tum illud quoque ſequitur, eum qui nunquam reprehendatur

bendatur, etiam si sit magnus ille Persarum Rex, cum foedissimam habeat impuritatem: illa certe ex parte *&* rusticum, *&* turpem esse, qua maxime plurum *&* excultum esse oportebat hominē ueræ beatitudini destinatum. THE. Haud dubie uera naras. HOS. At eos qui hac arte ualent, eaq; plurimum utuntur, quo nomine potissimum signabimus? nam sophistas equidē uereor eos nominare. THE. Cur autem? HOS. Ne nimium honoris huic nomini deferamus. THE. Atqui simile sit oportet, in quod tam aptè quadrent omnia. HOS. Et cani quidem similis est lupus, immanissima belua mansuetissimæ. Sed est cauti hominis, *&* prouidi, maximam semper cautionem in similitudinibus adhibere res est enim una omnium maxime lubrica: sed sint sane similia hoc quidem tempore: nam posteaquam satis lustrauerimus omnia, nō puto nos de minuis quibusdam distinctionibus ullam controuersiā habituros. THE. Probabile id quidem est. HOS. Ergo secernendi arte sit comprehensa purgatio: & purgatione pars animi propria segregetur: ab hac parte rursus ea quæ doctrinam complectitur: hinc deducamus disciplinam institutionemque puerilem, quæ ipsa refutationem continet eam, qua sapientiæ inanis opinio reprehenditur,

PLATONIS

Et hoc præsentis sermone sūt appellata nobis præclaræ illius Sophistices nomine. THE. Appelletur sa-
 ne. sed quoniam complura iam nobis occurserunt,
 dubito uehementer, quid me potissimum oporteat
 sine ulla dubitatione, ut uera affirmantem, sophi-
 stam uere esse dicere. HOS. Nec iniuria me her-
 clè dubitas: quanq; existimare debemus etiam illum
 non parum hærere, quærentem latebras, quibus nos
 disputationēq; nostrā possit euadere. omnibus enim
 omnium manib; elabi difficile est, ut rectè mone-
 mur ueteri Prouerbio. nunc igitur illum urgeamus
 quam maxime & perseguamur. THE. Rectè cen-
 ses. HOS. Primum ergo presso aliquantis per gra-
 du, paulum respiremus, & dum interquiescimus,
 inter ea rationem cum animis nostris ineamus, quo
 tandem rerum formis obtulerit se nobis Sophistes.
 nisi enim me fallit memoria, primo loco adule-
 scentulorum diuitum mercenarium consecutorem,
 auctupeq; eū inuenimus. TH. Factū. HOS. Deinde
 negotiatorem doctrinæ quæ ad animum pertinet.
 THE. Scilicet. HOS. Quid tertio loco, nonne
 ostendimus earundem mercium esse institorem?
 THE. Sanè. & quarto quidem esse eū etiam pro-
 priorum operum uenditorem. HOS. Rectè subij-
 cis: at quintum ego conabor in memoriā renocare:

crat

erat enim in concertationibus disputationū quidā
quasi athleta bene exercitatus præcipuum sibi pe-
nitiam litigandi arrogans. THE. Ita definieras.
HOS. Sextum uero ambiguū illud quidem est,
sed tamen concedatur, expurgatorem eum esse opi-
nionum omnium quæ obstant, & officiunt animi
doctrinæ. THE. Concedatu omnino. HOS.
Non igitur intelligis, cum in aliquo complures sciz
entiæ apparent; sed tamen ei nomen unius artis da-
mus, nullā integrā speciē animis audientiū occurre-
re: ergo perspicuū est, eum qui speciē unius artis in
animo accipit, nō statim intelligere quæ pars ipsius
artis sit ea, quo referantur omneis reliquæ discipli-
næ: ideoq; fieri, ut eū q; habuerit eas disciplinas plu-
ribus nominibus soleat appellare. THE. Ita fe-
re uidemus usū uenire. HOS. At hoc ipsum ne no-
bis quoq; propter ignorantiam nostram in hac quæstio-
ne accidat, prouidendum est. itaq; unum quiddam
eorum quæ de Sophista sunt dicta repetamus, erat
enim unum quiddam quod præ cæteris sophistæ na-
turam mibi circuscribere uidebatur, atq; indicare.
THE. Quid, aut quale id tandem erat? HOS. Dis-
putationem eum in uramq; partem acerrimum di-
ximus. THE. Ita est. HOS. Quid, an non huius
artis etiam magistrum fieri eum diximus? THE.

Maxime

PLATONIS

Maximè. HOS. Ergo consideremus, quibus de rebus potissimum sophistæ disputandi scientiam profiteantur: & considerationem à principio in hunc modum ineamus. Quid in diuinis ne rebus quæ uulgo sunt obscuræ, & penitus absconditæ, satis etiam reddunt exercitatos? THE. Ita certe fama est. HOS. Quid de illis autem dicendum est, quæ aut in terris apparent, aut in cœlo conspicuntur, aut in ijs, quæ sunt cœlo terraq; inclusa, atq; circundata? THE. Quid censes? HOS. In sermonibus quidem certe, cum aut de ortu rerum, aut de natura disputatur, cum ipsos acreis in refutandis alijs uidemus, tum alios quoq; taleis sub illis euadere. THE. Ita est profecto. HOS. Quid porrò de legibus, & de omni rerum publicarum constitutione dicendū est, an non in hac etiam parte, disputandi, controversandiq; scientiā pollicētur? THE. Enim uero, nisi pollicerentur, quis cum illis uerbum facere uellet? HOS. At de uniuersis quidē artibus, itēq; de singulis quid possit ipsis artificibus obijci, scriptus proditum est, si quis cupiat cognoscere. THE. Protagore amih dicere uideris, quæ ille de lucta & alijs artibus tradidit. HOS. Et de multis alijs bone adolescens. Sed hæc differendi in utramq; partē facultas, nōne generatim satis ad omnē disputationē

nem

nem, controversiamq; instruit? THE. Aut nihil, aut per parum huic arti deesse arbitror. HOS. At tu, per deos, tantamne puer optime hanc facultatem esse censes? Fieri enim potest, ut acutius cernat adolescentes, id quod hoc tempore inquirimus: nostra sit acies obiusior. THE. Quid est illud, aut quale tandem, quod nos intueri puies acrius? nondum enim intelligo quid uelis. HOS. Censes ne fieri posse, ut unius hominis animus omnes res scientia complectatur? THE. Beatum genus hominum praedicas hospes, siquidem ullo modo posset exsistere. HOS. Censem etiam, qui ipse nihil habeat scientiae, hunc homini docto & scienti posse contra dicere, ut tamen sanus esse uideatur? THE. Minime uero. HOS. Quam ergo in sophistarum facultate excellentiam ponimus admirabilem, & singularem? THE. Qua de re loqueris? HOS. Quo pacto iuuenibus possunt eam inserere opinionem, ut ab illis omnium rerum inter omnes sapientissimi habeantur? Certe enim, si nec recte in disputando contradicerent, nec id ratione facere uiderentur, aut si uiderentur illi quidem disputare ratione, sed ob id nihilo sapientiores haberentur, quis tam uellet, ut tute paulo ante dixisti, pecunia numerat-

PLATONIS

numerata illis se in disciplinam tradere? THE. Vix
me herculè quisquam. HOS. Nunc autem uolunt.
THE. Et ualde quidem. HOS. At enim ea putouis-
dentur optimè scire, quibus contradicunt. THE.
Nam qui possent contradicere alioqui? HOS. Iam
seruant in omnibus eam refragandi refutandiq; con-
suetudinem. THE. Omnino. HOS. Omnia
igitur gnari, ac sapientes, discipulis quidem certe
habentur. THE. Scilicet. HOSP. Nec sunt ta-
men: neq; enim in hominem hoc cadere iudicatum
est. THE. In quem enim hominem hoc cadat?
HOS. Opinionis ergo concitandæ scientiam liquet
ineesse sophistis, non scientiæ ueritatem. THE.
Planè: nec alio modo rectius hæc posse dici puta-
rim. HOS. Age porrò dilucidius exemplum, quod
hæc planiora faciat, proferamus. THE. Expecto.
HOS. Dicam, sed tu facito quam aptissimè respon-
deas: idq; si diligenter attenderis. THE. Dic
modo. HOS. Quid si quis dixerit eos, nec arte di-
cendi, nec refellendi magnopere præstare, sed arte
quadam alia ualere, qua sola efficiant atq; agant o-
mnia? THE. Quis autem unus efficiat omnia?
HOS. In ipso principio propter ignorantiam labe-
ris, nō enī intelligis, ut apparet, quid sit illud quod
dixi, omnia. THE. Non me hercule. HOS. At
hoc

hoc uerbo dico me, & te, præterq; nos, omnia ani-
malia atq; arbores etiam contineri. THE. Quo
modo? HOS. Ut si quis, & me, & te, & quicquid
è terra funditur, à se uno fieri atq; effici posse con-
firmet. THE. Sed quo efficiendi genere maximè?
non enim agricolam eum esse dices, opinor: nec qui
gignat atq; efficiat animalia. HOS. Imo uero dico:
& quidem præterea, maris eum, ac terræ, & cœli,
cæterarumq; rerum omnium opificem affero, tum
etiam postquam hæc omnia summa celeritate per-
fecit, minuissimo nummulo ea diuendere. THE.
Rem oppido ridiculam narras, atq; iocularē. HOS.
Quid, an non ludum esse censes, cùm aliquem au-
dis, cuncta se scire profitentem, atq; se alijs traditu-
rum, & paruo precio, & breui tempore pollicen-
tem. THE. Quid aliud ego uero censeā? HOS.
At inter tot genera artium ludicrarum, potés ne
quicquām, aut artificiosius, aut iucundius proferre,
quām imitationem? THE. Evidē non possum pa-
tit enim latissimè, & habet uarietatem penè summā
ut omnia in eo solo comprehendisse uideare. HO.
Quid, eum qui se omnia facere posse hac una imi-
tandi arte profitetur, nōnne uidemus simulachris
quibusdam hac arte ad uerisimilitudinem expres-
sis, & nominum quoque data similiudine, posse in-
confide

PLATONIS

consideratæ puerorum ætati imponere, presertim, si picturas ab aliquo spacio ostendat: & persuadere, se facile quiduis quod sibi commodum sit, reuera conjecturum: THE. Facillime persuaserit HOS. Quid, in uerbis, & in oratione non putabimus aliam quandam inesse artem, quam ipsam quoq; adolescentium ætas nequeat affequi, qua arte, iuuenium procul à rebus ipsis, & à ueritate distantium acies animi, ingeniumq; præstringitur, & quasi excantatur, imaginibus quibusdam, quæ rerum nomina ferant, exhibendis, ut facile quæ dicunt probare, & omnium rerum inter omnes scientissimi, sapientissimiq; esse uideantur: THE. Cur enim talis ars aliqua nequeat esse? HOS. Porro eosdem illos auditores Theætete paulum ætate progressos, prouetioresq; iam factos, cum in res ipsas inciderint, & ad eas proprius accesserint, quod ita casus aliquis ferat, ut ueritatem rerum aperte quasi manibus attrectare cogantur, an non necesse est senectias omnes priores mutare, atq; deponere, ut quæ magna sunt, exigua, quæ facilia sunt difficultia appareant: atq; ut omnia illa uerborum simulachra, posiq; ad ea deuenitum est, quæ reuera in uita, consuetudineq; uersantur, confracta penitus, & euersa uideantur. THE. Certè, quācum mihi hac ætate iudicare licet, ita est.

Sed

Sed me in eorum numero adhuc esse, qui longe à rebus absunt, puto. HOS. Eo te magis nos enitemur, aut iam potius enitimus quām proxime possimus adducere: idq; sine tuo labore, tædioq; discendi. Sed ut ad Sophistam redeamus, uelim dicas, an eum putas inter ueneficos, & incantatores sine dubitatione numerandum, cùm res ueras imitetur, an ambigendum censeas, sit ne reuera gnarus earum omnium quæfionum, quas oppugnare, ac refellere poterit oratione. THE. At quo modo isthuc homines ambigi posset: cùm sit satis, ut opinor, ostensum, esse eum à ludicris, & ioculatorijs artibus minime alienum. HOS. Statuamus igitur incantatore ē eū esse quendā, & imitatem. THE. Statuendū plane. HOS. Age age, nunc nostræ sunt partes retinere bestiam, iam pene disputationis nostræ quasi quodam euerriculo implicatā, atq; circundatam. nec uero hoc quoq; quod nunc dicam poterit euadere. THE. Quid tandem? HOS. Ut non sit in numero præstigiatorum, eorumq; qui ludicra quædā miracula solent edere. THE. Evidem in eo plane tibi assentior. HOS. Ergo quidquid ad imagines effingendas pertinet, id omne mihi quām maturime dividendum uidetur: & si nos in hanc artem penitus ingressos operietur Sophistes, prendemus illum.

PLATONIS

illum, prout regina ratio imperabit, trademusq; uix
Etum, ac deinde præconio prædam capturaq; no-
stram declarabimus: si autem se abdiderit in imi-
tationem atque in ea delituerit, persequemur: sem-
perq; eam partem, in quam se receperit, excutiemus
ac diuidemus, donec eum tandem aliquando erimus
affecuti. omnino autem nec Sophistes, nec alius quis
quam, cuius genus, & natura in quæstione uerabi-
tur, effugisse gloriabitur, si hoc modo locis omni-
bus indagandi uiam instituerimus. THE. Recte
suades, itaq; faciendum est. HOS. Ut igitur in hunc
modū diuidamus, duas etiā nunc species imitationis
mihi uideo cernere: quarū tamen in utra parte po-
namus hunc quē quærimus Sophistā, nondū satis cō-
stituere possum. THE. Narra modo, atque istam
tuam diuisionem explica. HOS. Vnam speciem
uideo in imitatione, artem exsculpendi, aut potius
exprimendi, quæ est, cùm ad exempli propositi di-
mensionem in longum, latum & altum, illitis etiam
coloribus, qui cuīq; parti congruant, perficitur imi-
tatio. THE. Quid? an non omnis imitatio ad eum
instituitur modum? HOS. Non herclē uero, ma-
xime cum opera maiora finguntur, aut etiā pingui-
tur, nam si quæ etiam pulchra sunt ueris partium
dimensionibus redderetur, facile credo futurum ui-
des

des, ut superiora quæ sunt, minora, inferius posita
grandiora uideantur, quod hæc proprius absunt, illæ
longius ab aspectu recesserunt. THE. Intelligo.

HOS. Itaque opifices ueritate neglecta, non
eum modum qui reuera corporibus inest, imaginis
bus accommodant, sed eam quasi modificationē ad-
hibent, quam ad aspiciendum iucundissimam, pul-
cherrimamq; arbitrantur fore. THE. Omnino ita
facere solent. HOS. Id igitur quod plenam habe-
bit, atq; absolutam similitudinem, recte solidam effi-
giem nominabimus, & expressam. THE. Rectissi-
mè, ut opinor. HOS. Hanc igitur, an non aequū
est expressionem vocare? THE. Maxime. HOS.
Itaq; sic appelletur id quod in hoc imitationis ges-
nere uersabitur: eoq; vocabulo iam ante sumus usi.
THE. Appelletur. HOS. Iam uero illa quæ spe-
cie quadam honesta ad pulchritudinem accedunt,
sed si quis ea tamē intueri diligentius possit, nulla
ex parte similia sunt ijs, quorum similitudinem mē-
tiuntur, quo tandem nomine vocabuntur? appella-
bimus ne simulacra, & adumbrationes, quæ nullam
habeant illæ quidem similitudinem, sed tantum has
bere uideantur? THE. Quid ni? HOS. Hoc uero
nonne latissime patet, & ad picturas, & ad omnē
imitationem pertinet? THE. Ita arbitror. HOS.

PLATONIS

Artem autem eam, quæ non effigies exprimit, sed inania simulachra fingit, an rectius ullo uocabulo quam assimilationis poterimus designare? THE. Non arbitror. HOS. Hæ sunt ergo species illæ duæ, quas proposueram, imaginum imitādarum, expressio, & assimilatio, quæ & adumbratio fortasse poterit alionomine uocari. THE. Rectè HOS.

Quod autem etiam ante dubitabam, in utra parte collocarem sophistam, id ne nunc quidem satis intel ligere possum, atq; eum iudico admirandum quen dam hominem esse, quem cognoscere atq; intueri longe sit difficultatum. Et nunc quoq; ille perbelle, & præclara quadam arte se in aliam quandam formam abdidit, cuius aditus & inuestigatio non minimū habeat difficultatis. THE. Sanè uidetur. HOS.

Quid tu ex animo ne mihi assentiris, & quia sic iudicas, an quia facilis es alioquin ad assentiendū, æstu disputationis ad præproperam abreptus es assensio nem? THE. Non satis intelligo, quo tua spectet oratio. HOS. Versamur hoc tempore puer optime in quadam sanè perdifficili quæstione. Nam & apparere aliquid & uideri, nec tamen esse, & oratione nos quædam posse complecti, atq; enunciare, quæ uera non sint, hæc, quantū hactenus intelligere potui, plena dubitationis obscuritatisq; sunt omnia.

Diffi

Difficile enim est ô Theætete, si quis ea quæ falsa sint, & dici & sentiri posse confirmet, & talem quandam facultatem in rerum esse natura, ut is nō aliquando secum ipse pugnare uideatur. THE.

Quid ita uero? HOS. Quia ad tantam confidens tam ista processit oratio, ut ea quæ non sunt, esse tamen assueret: quod nisi ita esset, nihil falsi ullo modo posset existere. Ac magnus ille Parmenides Theætete saepe nos pueros & initij disputationum suarum, & medijs extremisq; uerbis obtestabatur, atque admonebat: saepe etiam uersibus aut oratione libera deprecabatur. Quæ non sunt (inquiens) ea tu ne dixeris esse, nec unquam.

Hac insiste uia, cupiens inquirere uerum.

Et hoc quidem modo ille suam sententiam, & quasi testimonium dicit. Optime autem omnium, & aperiissimè ratio ipsa, si eam uel paulum modo euoluas, atq; excutias, docebit: quare hanc primum, nisi tibi molestum est, audiamus. THE. De me quidem tuo constitues arbitratu: sed fac ipse solam intueare rationem, & quâ uidebitur ea te ducre, hac & ipse insequere, & me tecum quoque abducito. HOS. Nimirum ita faciendum est: sed dic mihi, id quod non est, an unquam esse audeamus dicere? THE. Quid ni audeamus? HOS.

PLATONIS

Si quis igitur non concertandi cauffa, nec ludendi gratia, ex his ipsis qui h̄ic adsunt, meamq; orationē audiunt, sed serio iubeatur bene meditata mē sententiam dicere, quorsum pertinere arbitretur, id quod non esse dicimus, putas ne illum in quam rem & in qualem referatur, dicturum, aut ei qui cupiat audire demonstraturum? THE. Difficile est, quod proponis, atq; arduum, & mihi quidem, ut ingenuè dicam, prorsus inexplicabile. HOS. At hoc certe perspicuum est, opinor, id quod non est, ad ea quæ sunt, non esse referendum. THE. Plane apertum id quidem est. HOS. Quod si hoc damus, ne ad illæ quidē quæ sunt aliquid, iure referetur. THE. Nā quo iure possit? HOS. Et hoc quoq; nihil habet dubitationis, cùm dicimus aliquid, id ad rē referri, quæ sit in rerū natura. Non enim posse fieri, cùm hoc uerbo utimnr, ut id nudū intelligatur, & ab omnire separatū, atq; diuisum, est ne ita ut dixi? THE. Est ita omnino. HOS. An nō idcirco assentiris quia uidet necesse esse, eū qui dicit aliquid, unū aliquid dicere? THE. Ob id ipsum assentior scilicet. HOS. Nā aliquid unius esse signum, aliqua complurium. THE. Ac necessario. HOS. Hoc quoq; uidetur necessariū, qui neget rē aliquā esse, eū nullā esse assertare. TH. Et quidē maximē necessariū. HO. Ergo ne hoc

ne hoc quidē concedendū est, ut ita loquamur, hic ho-
mo tametsi dicit aliquid, tamen nihil dicit: sed potius
ne loqui quidē putādus est is, qui conabitur ea qnæ
non sunt oratione proferre. THE . Erit igitur hic
certe finis nostræ dubitationis aliquādo. HOS . Ca-
ue ne præproperè gloriās. restat enim mi Theæ-
tete, restat etiā scrupulus & quæstio tū maxima, tū
primo loco explicāda: nā & principiū, & caput di-
sputationis attingit. THE . Explica qnæso, nec gra-
uere nobis omnē tuā sententiā aperire. HOS . Quic-
quid est in rerū natura, ei potest eorū quæ & ipsa
sunt, aliquid accedere. THE . Assentior. HOS . At
ei quod non est, an aliquid eorū quæ sunt, posse di-
cēmus accedere? THE . Nō video qui possit. HOS .
Quid, numeros cēsne inter ea quæ sūt, esse nume-
rādos? THE . Censeo uero, ut si quid aliud. HOS .
Ergo nec plures numeros, nec unū, ei quod non est,
accōmodemus. THE . Non enim possimus, opinor,
si rationi uolumus obtemperare. HOS . Qui possis igi-
tur aut oratione eloqui, aut animo & cogitatione
complecti, uel aliquam multa quæ non sint, uel ali-
quod unum, sine adiectione numerorū? THE . Ipse
doceas uelim. HOS . Quoties ita loquimur, nō sunt:
nōne multitudinem numeri denotamus? THE .
Maxime. HOS . Cūm autē dicimus, non est: nōne

D ij uolu

PLATONIS

uolumus unum quiddam iudicare non esse? THE.
Planissime. HOS. Quin illud etiam nec iustū esse
nec rectum dicimus, ei quod non est, aliquid eorum
quæ sunt, uelle connectere. THE. Verissima præ-
dicas. HOS. Facile igitur intelligis, id quod nō est,
per se nullo neq; sono, nec oratione proferri, & ne
cogitari quidem posse. sed esse incogitabile & inef-
fabile, tum etiam positum extra omnem, & rationē
& orationem. THE. Video planissime ita se-
rem habere. HOS. An uideor ergo paulo ante mē-
titus, cum de hac re quiddam me allaturū promitte-
rem quod haberet explicationē difficilimā? THE.
An aliud etiam inexplicabilius quicquam proferre
possumus? HOS. Quid, adolescēs bone, non sentis
ex ijs ipsis quæ præcesserunt, eum qui refutare cone-
tur, in summam difficultatem, ab eo quod non esse
dicitur, rejci, ut secum ipse pugnātia loqui cogatur,
dum molitur refutationē? THE. Quid dicas, nisi
loquaris apertius, non satis intelligo. HOS. A me
uero caue quidquam dilucidius expectes. Cum enim
proposuerim, id quod non est, nec pluriū nec unius
esse particeps, tamē & insuperioribus, et nūc quoq;
id unum esse dixi, dum hoc modo enuncio, id quod
non est. quid intelligis, an nondum etiam? THE.
Intelligo, HOS. Tum præterea id paulo ante dixi
ineffa

ineffabile esse, & nō esse nec lingua memorabile,
nec cogitabile animo, nec cōprehēsibile ratione. iam
ne ne assequeris quid uelim? THE. Assequor, & fa-
cile quidē. HOS. Cū hoc uerbū esse, ei conor anne-
stere, nōne cōtraria, q̄ quæ posita sunt, pono? THE.
Sane uideris. HOS. Nō igitur, id quod nō est, quasi
sit enuncio. THE. Plane. HOS. Et uero cūm id à ra-
tione dicerē alienū, & ineffabile, & inenunciabile,
quasi de uno loquerer, ita uerba faciebā. THE. Ita
est. HOS. Nos uero sumus in ea sententia, si quis
recte loqui uelit, eū non posse, nec ut unum, nec ut
plura definire, quod nō est, neq; etiā dicere, illud
ipsum, quod non est. Nā adiectione uerbi, illud ip-
sum, futurū ut aliquid unū notetur. THE. Omni-
no. HOS. De me porrò quid dicendum est, qui dū
cupio id quod non est, euertere, inferior esse facile,
& nunc, & in superiori disputatione deprehendi
possū: quare in me quidē & mea facultate dicen-
di, quemadmodum dixi, ne requiramus, quid recte
de hac quæstione secūsue dicatur: sed age in te ip-
so potius id conemur inquirere. THE. Quid isthuc
est? HOS. Age uero, contentis omnibus neruis,
q̄ maxime potes, alacriter, ut & ætas tua postulat, co-
nare de eo quod nō est, aliquid enūciare recte, con-
uenienterq; rationi, ut tamen id nec dicas esse, nec

unū esse, nec plura. THE. Nimia uero sit alacritas ista, absurdusq; conatus, cum præsertim uideā quid ipsitibi euenerit. HOS. At enim nos ipsoſ Theætete ſi placet, omittamus: dicamusq; Sophistam per ſummarū uafritiem ſe in locum quendam inuiū, et inacceſſum abdiſſe, dum extiterit aliquis, qui hoc iſum poterit præſtare quod diximus, ut in luce eū proferat. THE. Idē de Sophista ego quoq; existimo. HOS. Quamobrem ſi artem ei tribuerimus, falſa quædam ſimulacra fingendi, atque adumbrandi, facile ille noſtra uerba ex uſu ſuo apprehēſa, in contraria partem detorquebit: ut exēpli cauſſa, ſi eū imaginum architectū, et quaſi ſigillum quendā eſſe dicamus, quæreret protinus, quid nos imaginem nomine mus. Dispiciamus ergo Theætete quid adolescenti ſit respondendum. THE. Eas nimirum uocabimus imagines, quas in aqua, et in ſpeculis uidemus. Tum quæ picta ſunt aut exſculpta, et ſi qua ſunt præterea generis eiusdē. HOS. Cuius perſpicuum eſſe poſſit Theætete, nunq; tibi Sophistā eſſe conſpectū. THE. Quid ita uero? HOS. Connuerere tibi uidebitur Sophistes, aut plane oculis eſſe captus. THE. Cur? HOS. Si ſic ei responderis, ut imaginum ſpe culorumq; facias mentionem, irridebit ille orationē tuam, quod ita ſecū uerba facias, quaſi cum uidente,

atq;

atq; cernente : simulabitq; se nec specula, nec agnas
nosse : nec omnino quis sit usus oculorum: sed aliud
quiddam quæreret ex ipsa disputatione erutū. THE.
Quale id tandem erit? HOS. Id uerbum scilicet,
quo iū toties ususes per omnes eas res, quas cū admo-
dū multas cōmemoraueris, uno uocabulo designasti,
ut imagines nominares, perinde quasi sit una res,
atq; simplex. Proinde loquere, hominēq; propulsa,
necei facilem trade uictoram. THE. At quid tan-
dem Hospes dicere imaginem possumus, nisi quid-
dam ad rei ueræ similitudinem effictum, quod sit
simile illud quidem ueri, sed tamen nō idem. HOS.
Cum simile dicis, sed non idem, rem ueram signifi-
cas, an aliter eo uerbo iteris? THE. Minime rem
ueram, sed tamen ueræ plane similimā. HOS. Veri
nomine nihil aliud uis opinor intelligi, quam id
quod re ipsa est. THE. Nihil. HOS. Et cum dicis
non uerum, nonne aliquid uero contrariū denotas?
THE. Maxime. HOS. Ergo quod simile dicis, id
non cōtinuo dicis esse, nisi uerum esse dicas: at est
tamen. THE. Quo pacto? HOS. Nec uere tamē,
quemadmodum tute ais. THE. Non uere quidem
est, sed uere tamen effigies est ueri, & similitudo.
HOS. Ergo id quod nō est, nonne reuera, eius quod
est, effigies esse dicetur? THE. Sane uidetur id
quod

PLATONIS

quod non est, cum eoque est, tali quadam implicazione inuolutū, eaque non parum absurda, atq; perplexa. HOS. Est sane talis; itaq; uides, ut nos multiceps iste Sophistes hac sua implicatione atque perplexitate, inuitos coegerit, id quod nō est, esse tamē quodam modo confiteri. THE. Video, & aperte quidē video. HOS. Poterimus ne igitur, si eius arte certis qbusdā terminis circumscripserimus, nobis ipsi cōsentire, atq; cōstare? THE. Quo pacto rogas, & quid ueritus iſthuc rogas? HOS. Quum illū inanibus quibusdam ueri simulacris decipere dicimus, artemque totam illius nihil aliud esse, quam rationem quandam decipiendi, atque fallendi: quid? dicemus ne, necessario etiam animos nostros ab hac arte ad falsas opiniones impelli, atq; sententias? aut quid censes? THE. Hoc ipsum egouero censeo. non enim aliter posse dici, arbitror. HOS. At falsa sententia est, quae contraria, quam quae sunt, asseuerat, quid, an tu aliter iudicas? THE. Hoc ipso modo iudico. HOS. Ergo, quae non sunt, ea putare esse, falsam sententiam appellas? THE. Et quidem ita necesse est. HOS. An eam, quae statuit non esse quae non sunt: an quae ea ipsa quae nō sunt, esse cōfirmat? THE. Certe si concedimus quenquam uel paululū errare, uel falli mentiriique posse, necesse est interdum ea

dum ea putari esse, quæ nulla sunt. HOS. Quid? an non etiam ea quæ plane sunt, creduntur non esse? THE. Ac sœpe numero quidem. HOS. At in eo quoque falsitas inest. THE. Ita est. HOS. Nec minus falsa dicitur oratio, quæ dicet ea quæ sunt, non esse, quam quæ affirmabit ea quæ non sunt, esse. atque hoc puto ex ijs, quæ supra iam posita sunt, effici. THE. Nec est aliud ullum falsæ orationis genus, si quid ego iudico. Non fere, sed neutra oratione Sophistes utetur, aut certe se uti fatebitur. Nam quo pacto quisquam, qui quidem sana mente sit prædictus, ea se proferre fateatur, quæ nec oratione exprimi posse, nec animo atque ratione, comprehendendi, necullo modo sub disputatis nem cadere diximus, & quasi de communi sententia constituimus? Quid, an nondum intelligimus Theatete, quid ad ista respondeat? THE. Quid ni intelligamus? dicet nimirum contraria nos asseuerare, inter seque pugnantia, qui non uereamur falsa esse dicere, & cum in animis & opinionibus tum etiā in oratione uersari. Fieri enim, ut ei quod nō est, id quod est, sœpe attribuere, & assignare cogamur: cum prius statuerimus id fieri nullo modo posse. HOS. Recte tu quidē, ac memoriter narras.

Sed

PLATONIS

Sed iam tempus est, quid de Sophista sit constituen-
dum, uidere. Nam si statuimus eum inter homines
fraudulentos & impostores debere numerari, quam
multas ansas ad reprehendendum prebeamus, &
quam multis difficultibus impediatur, uides.

THE. Sanè video. HOS. Atqui perexiguam par-
tem commemorauimus earum, cum sint prope innu-
merabileis, & infinitæ. THE. Enimuero nemo
sophistam ceperit, si isto modo se res habet. HOS.
Quid, itane ergo desistemus, ignavia fracti, atq; so-
cordia? THE. Ego uero, si eu aliqua ex parte liceat
prehendere, non censuerim desistendum. HOS. Igno-
sces, igitur, & quemadmodum tute dixisti, præcla-
re nobiscum agi putabis, si uel paululum obscurita-
tis detraherimus ex tam difficiili quæstione. THE.
Ita faciam omnino. HOS. Hoc uero quod nunc di-
cam, magis enim abs te contendo, magisq; deprecor.
THE. Quid tandem? HOS. Ne me quasi parri-
cidam aliquem fieri suspicere. THE. Quid ita?
HOS. Quia defendendi caussa Parmenidis patris
nostrí sententiam paulò diligentius cogemur expé-
dere, & ui adhibita demonstrare fieri aliquando,
ut quod non sit, esse: quod sit, interdum non esse ui-
deatur. THE. Est isthuc ut appareat, magnopere
contendendum. HOS. Cui uero non appareat, cū
met

uel cæco, ut est in proverbio, possit apparere? Nisi enim hæc refutantur, aut assensione confirmantur, quis unquam poterit, aut de oratione falsa, atque mendaci, aut de sententia, atq; opinione non uera, aut de imaginibus, adumbratisq; simulacris, & expressis, totoq; genere imitationis, aut de artibus ijs, quæ ad hæc pertinent, dicere, ut non statim irrideatur, propter necessariam uerborum inter se repugnantiam? THE. Nemo scilicet. HOS. Quapropter aut sententiam patris, quemadmodum dixi, inuadere, atq; oppugnare audeamus, aut omnem investigationem omittamus, si quid erit forte, quod nos retardet. THE. At in hoc quidē negotio nulla sit cauſa, quæ nos possit aliquo modo retardare. HOS. Tertium igitur quiddam abs te petā. THE. Dic modo. HOS. Dixi me nec prius alacrem fuisse ad horum refutationem, & nunc quoq; nihil habere reliquum ſpei. THE. Ita factū. HOS. Itaq; uereor, ne me putas insanire, quod tam ſubito mutauerim animum, ac retro me ipſe cōuerterim nam ſolum ut tibi gratificemur, ad refutationem, ſi id forte conſequi licebit, accedemus. THE. Ergo quod ad hanc rem attinet, caue metuas ne mihi parum reſtē facere uideare: neve trepide ad refellendum, ac docendum, aut dubitāter acceſſeris. HOS. Age igitur

PLATONIS

igitur quod erit huius tam scopolosae disputationis exordium: Nam si me quidem audis puer, hanc ego uiam maxime nos ingredi reor oportere. THE.
Quam? HOS. Si primum ea quæ uidentur perspicua, consideremus, ne qua nobis postea turba ex his ipsis possit existere: utq; facile possit inter nos conuenire, si ratione omnia distincta videantur. TH.
 Dic apertius ista quæ dicis. HOS. Simpliciter nec erudite satis, locutus esse nobiscum Parmenides uidetur: Et quisquis unquam accessit ad earum rerum, quæ sunt, numerum, Et qualitatem explicandam, atq; definiendam. THE. Cur isto modo iudicas? HOS. Videntur mihi suam quisq; fabellam narrare, quasi nos pueros esse ducant, atq; alias quidem ea quæ sunt, tria ponit esse, quæ sint interdum contraria inter se, atque pugnania: alia rursum reconciliata gratia, Et nuptias iungant, Et partus edant, Et quæ pepererunt, alant, atq; iueantur. Existit aliis, qui duo statuat in rerum natura, humorem, Et siccitatem, aut calorem Et frigus, eaq; matrimonio copulet, colloceatq;. At Eleaticum genus apud nos philosophorum, a Xenophane orsi, aut etiam paulò prius, ita suam fabulam narrant, ut ea quæ uulgo dicuntur omnia, non nisi unum esse confirmant. Post Ionicæ quædam, Et Siculæ. Musæ turissi-

utissimum esse intellexerunt, si utraque coniungerent, dicerentque id quod est, & multa esse, & unum: & inimicitijs pariter, & gratia contineri: & dissidere semper, & consentire: quemadmodum illæ Musæ assuerabant, quæ paulò fortius sunt locutæ: ut contra quæ mollius, non ita semper esse contenderunt, sed uicissim fieri, ut totum uniuersitatis corpus interdum fiat unum, & ipsum sibi amore, & matrimonio compuletur: interdum dissiliat in partes, & secum pugna quadam discordiâque contendat. Atque hæc quidem omnia, rectè ne illi an secus dixerint, perdifficilis est, & lubrica censura, in errorēmque proclivis: præsertim in tanta uirorum nobilitate, & antiquitate: illud autem affirmasse minus fortassis habuerit inuidiæ. THE. Quid nam id est? HOS. Contempserunt illi nos, nec ullam maioris partis hominum habuere rationem: quin etiam omni proiecta cura, an quid dicant intelligamus, suam quisq; sententiam persequuntur. THE. Aperiens loquere. HOS. Quum aliquis ex illis, aut plura ponit, aut duo tantum, aut etiam unum statuit: atq; ea uel iam esse, uel olim nata, uel adhuc esse in ortu, assuerat: aut cū permisiōe caloris, & frigoris, tertium quiddam dicit existere, introductis dissipatiōibus quibusdā

&c.

PLATONIS

& concretionibus: quid per deos, Theætete, num
 quicquam horum omnium intelligis? nam ut de me
 quidem dicam, cum essem aliquanto minor natu, si
 quando mentio fiebat eius quod non est, præclare
 me intelligere putabam: nunc uero idem quæren-
 tes, uides in quibus scopolis, & in quanta difficulte-
 tate uersemur. THE. Video. HOS. Quin hoc quo-
 que fieri potest, ut, cum de eo quod est, similiter in
 animis nostris laboremus, nec minori conflictemur
 difficultate, hanc tamen quæstionem faciliorem pu-
 temus, eamq; nobis intelligere uideamus: illam non
 item: cum de utraq; peræquè simus incerti. THE.
 Fortassis ita res habet. HOS. Atq; idem de omni-
 bus quæ supra posita sunt, dictum existimetur.
 THE. Sit ita. HOS. Ergo post si uidebitur, mi-
 nutiora, quæ sunt multa, tractabimus: nunc caput
 quæstionis, & ipsa initia consideremus. THE. Cu-
 ius tandem rei? an uero prius nobis inuestigandum
 cœses, quid sit id quod est, quidq; ij qui hoc nomine
 frequenter utuntur, uelint accipi. HOS. Rectè in-
 telligis mi Theætete. Hanc autem nobis ineundam
 uiam existimo, ut eos perinde quasi præsentes allo-
 quamur, & ad hunc modum interrogemus. Agite
 uero quicunq; frigus, & calorem, aut alia quædam
 duo, quæ sint eiusdē generis, statuitis esse uniuersa,
 quid,

quid, an utrisq; naturam tribuitis uniuersam, ut alterum duob; utrumq; esse videatur? quid præterea uerbo, esse, significari putabimus, an præter illa duo, tertium quiddā est, ut uestra quidem ratione in tribus sita sit uniuersitas, non duobus? non enim cū duorū alteri attribuitis, ut id esse dicatis, utrūq; æque esse dicitis nā utrumq; isto modo fieret unū, non duo. THE. Vera sunt quæ prædicas. HOS. Quid, ambās ne res putatis uno nomine eius quod est, oportere signari? THE. Ita fortasse arbitrantur. HOS. At nos respondebimus, isto modo, amici, res duas, unam apertissimè nominatis. THE. Reætissimè. HOS. Quum nos igitur exitum inuenire negueamus, uos quæ soꝝ explicate quantum satis erit ad intelligendum, quoties hoc uerbum usurpatis, id quod est, quam rem indicetis. Vos enim certe iam olim ista cognouistis: nos uero habemus ea quidem nobis scire uisi sumus, nunc autem hæremus, ac flueramus. Itaq; nos hoc ante omnia doceatis uelim, ne putemus forte nos intellexisse uestram sententiam, cùm nulla ex parte, eam intelligamus. Si hæc proposuerimus Theætete, & ab illis postulauerimus: itemq; ab ijs omnibus, quicūq; plus uno esse id, quod vocamus uniuersum, putat, quid adolescens bone, an aliquid in eo delicti hideoimur admisisse?

PLATONIS

THE. Minime sane puto. HOS. Iam uero illos, q
omnia unum esse dicunt. an non interrogabimus,
q diligentissime possumus, quid sit illud cui tantum
tribuunt, ut id esse pronuncient? THE. Quid nis
HOS. Ad hoc igitur respondeat: quid, unumne es-
se tantum modo putatis: annuent illi, opinor. TH.
Maxime. HOS. At id quod est, nonne de aliquare
dicitis? Ne hoc quidem negabunt. An idem est
quod unum, ut duo nomina eidem rei accommoden-
tur? THE. Quid habebunt Hospes, quod ad ista
respondeant? HOS. Nempe qui ista posuerit Theæ
rete fundamenta, non facilime, neq; ad hæc ipsa, nec
ad alia responderit. THE. Quid enim possit? HO.
Nec uero duobus nominibus positis, rem unam sta-
tuere, non ridiculum est, et absurdum. THE. Et
ualde quidem. HOS. Aut eius orationem non re-
pudiare, qui nomen aliquod esse, cuius nulla sit ra-
tio, dixerit. THE. Nam quo modo isthuc non fue-
rit absurdum? HOS. Et qui rei nomen imponit a-
lienum, atq; diuersum, duas quasdam res facit. TH.
Verum. HOS. Si idem ualebit nouū illud nomen,
aut nullius erit rei nomen, aut si alicuius esse dice-
tur, certe nullius fuerit, nisi nominis (ut ita dixe-
rim) nomen. THE. Ita est. HOSP. Et cum sit
unum, unius etiam dunitaxat nomen est: quod ip-
sum

sum quoque unum est. THE. Necessario. HOS.
Quid uero, uniuersum atque totum quoddicitur, a
liudne diceretur esse quam unum, an plane idem?
THE. Enimuero non modo ita dicent, sed iam
etiam dicunt. HOS. Si igitur, ut ait Parmenides,
id quod omne atq; uniuersum uocatur.

Mole globo simile est, quem circulus undiq; talis
Ambit, ut à medio tantundem distet ubiq;.

Quia nec firma magis, nec forma capacior uilla est:
necessere est, si id quod est, huiusmodi est, & me-
dium habeat quiddam, & extremum: quæ si habet,
etiam partes habere sequitur necessario. THE. Om-
nino. HOS. Et tamen quamuis sit comminutum,
in partesq; diuulsum, potest in omnibus ijs parti-
bus, unius habere proprietatem, atq; naturam: &
hac ratione, quamuis sit totum, atq; uniuersum, ta-
men quin unum sit, nulla res fuerit impedimento.

THE. Nec video quid ueret. HOS. Quod autem
per pessum sit diuisionem, an non uidetur tibi nullo
modo illud unum esse posse? THE. Quo pacto
enim unum esse possit? HOSP. Sane, quod uerè
unum putandum est, id prorsus indiuiduum esse ra-
tio docet, nec multis partibus disparatum, atque
diuisum. THE. Plane ita existimandum
est. HOSP. Quod autem tale est, ut ex multis
E ij partibus

PLATONIS

partibus constet. id non congruit cum uniuerso.
 THE. Intelligo hos. An eo modo uniuersum posse
 erit esse, & unum, & uniuersum, si quod uni acci-
 dit, id ei quoque accidere dicatur: an plane negandū
 est, quod unū sit, id esse uniuersum? THE. Diffi-
 cilem protulisti optionem. hos Vera narras. Nā
 cūm prius ei quod est, accidere dixerimus, ut unum
 esse posse. it, hoc modo non idem uni uidetur: eruntque
 omnia, atque uniuersa, p' us uno. THE. Sanè. hos.
 Atqui, si quod est, non est integrum, ac totum, quia
 totius atque uniuersi modo affectum sit, divisionemque
 acceperit: sed potius id quod uniuersum dicitur, est
 id, cui tribuimus, ut uerè esse dicatur: efficitur, ut
 quod est, ipsum sui fiat indigum. THE. Prorsus
 ita fiet. hos. Atque hic ratione, id quod est, si sibi
 admatur, seipsoque priuetur, nō erit id ipsum. THE.
 Sic est. hos. Itaque rursum uniuersa plus uno
 fiunt, si & id quod est, & id quod uniuersum, atque
 totum est, separatim utrumque propriam vim, natu-
 ranque possederit. THE. Assentior. hos. Quin
 etiam si tollatur omnino quod totum dicimus, tamē
 ei quod est, eadem accident omnia: neque solum non
 esse, sed ne fuisset quidem unquam, patebit. THE.
 Quidita uero? hos. Omne quod natum est, semper
 integrum totumque natum est, nec ulla ex parte
 imminutum

imminutum: quare nec esse, nec oriri, sunt rebus ijs
quæ sunt, annumeranda, nisi dicatur etiam id quod
unum est, idq; quod totū, in ijs quæ sunt, esse nume-
randa. THE. Sane meo quidem animo, prorsus ita
se res haber. HOS. Sed ei quod non est totum, ne
quantitas quidem ullare ceteretur, cui enim ista
tribuetur, id quantumcunq; fuerit, tantū esse totum
necessere est. THE: Omnia. HOS. Et alia porrò
infinita, & infinitis difficultatibus impedita sese
offerent, si quis id quod est, aut duo quædam esse,
aut unū cunctaxat, affirmaret. THE. Subindicant
hoc, ac declarati proponendū ea quæ iam dicta sunt.
Ita enim aliud ex alio nescitur, itaq; inter se apta
sunt omnia, ut semper maior difficultorq; nascatur
erratio de proposita quæstione, tam diuq; tractata.
HOS. Ergo, tametsi eos nondū planè commemora-
vimus, qui de eo quod sit, aut quod nō sit, paulo sub-
tilius disputatione, tamen sit (ut opiuor) satis: nunc a-
liorum dicta videamus: ut ex omnibus illud intelli-
gatur, nihil ofacilius esse definire id quod est, quam
quod non est. THE. Ergo ad hos etiam pergamus.
HOS. At inter hos quidem quasi gigantum pu-
gna quædam uidetur fuisse: ita de tota natura eius
quod est, varia senserunt, inter seq; pugnantia.
THE. Quo pacto? HOS. Alij eorum ex ce-

PLATONIS

lo, & ex omni eo quod oculis nō pater, omnia, qua-
 si manibus detrahere conantur, adeo ut ne à saxis
 quidem, arboribusq; se abstineant: & hæc quidem,
 & huiusmodi alia, ita amplectuntur, ut id solum
 esse confirmant, quod et appulsum præbeat, & sub-
 tactum cadat, utq; idem definiant, corpus, & id
 omne quo quid esse dicitur, quam ὅντες nomina-
 mus: quod si quis alias res, quamvis sint incorpo-
 reæ, esse tamen eas dixerit, hunc contemnunt:
 nec præter corpora quidq; esse concedunt. THE.
 Sane molestum genus hominum narras, & ego iam
 non in paucos huiusc generis incidi. HOS. Id cū
 uideant ij, qui his se opponunt, percallide ex supe-
 riori loco, & ex ijs partibusquæ cerni non possunt,
 defensionem parant: & species quasdam, quæ ani-
 mo informentur, corporum experteis, cogunt eam
 esse naturam, qua res uerè esse dicantur. at illorū
 corpora, quamq; nominant ueritatem, in minuta que-
 dā frusta cōcidentes, pro ueritate, ueraq; natura, &
 (ut ita loquar) essentia, ortū quendam introducunt
 perpetuū, semperq; manantem. Atq; inter hos qui-
 dem Theætete, magna quædā fuit semper, nec dum
 finita contentio. THE. Est ita ut dicis HOS. Er-
 go ab utrisq; uicissim petamus, ut uelint nobis sen-
 tientiae suæ rationē exponere. TH. Qui poterimus
uero?

aero^r HOS. Sane qui inter formas, eā quā diximus
 esse itā ponunt, ab his facilius impetrabitur: sunt
 enim humaniores, minusq; præfracti: at ab ijs qui
 per iūm omnia ad corpus referunt, uix, aut fortasse
 ne uix qdē. Sed mihi in hac quæstione hoc modo fa-
 cienū uidetur. THE. Quo tandem? HOS. Ante
 omniū laboremus, si quā fieri possit, eos reuera fa-
 cere meliores: sin hoc nō licebit, oratione certe id
 ipsumassequamur, fingamusq; eos syncerius q hacte-
 nus respoderint, uelle respodere. Ponderis enim ali-
 quāto plus habebunt quæ meliores, q quæ deteriores
 cōcess̄int: qq hæc non magnopere curamus: ipsam
 enim uerimus ueritatē. THE. Rectissime. HOS.
 Fac iūtur, ut ij quos iā meliores fingimus factos, tis-
 bi respondeāt, tuq; eorū sententiæ interpres esto.
 THE. Fiet. HOS. Cūm dicunt animal mortale, qd,
 licunt ne id aliquid esse? THE. Quid ni? HOS.
 Quid, hoc ipsum nōne cōcedūt esse corpus anima-
 ti? TH. Omnino. HO. Hoc cū faciūt, nōne ponūt
 animū aliqd in rerū esse naturā? TH. Maxime. HO.
 Quid, animū, iustū ne dicūt esse quendā, & alium
 inustū, & hūc insipientē, illū esse sapientē? THE.
 Quid ni dicant? HOS. Nūmne iustitiæ præsen-
 ti taleis fiunt: & cūm contraria animis insunt,
 m non & ipsi contrariam qualitatem induunt?

PLATONIS

THE. Nimirum hic quoque assentiuntur. HOS.
At quodcunque poterit alicuius uel adesse, uel
abesse, omnino(ni fallor) hoc quoq; aliquid esse af-
seuerabunt. THE. Imò uero iam a seuerant. HOS.
Quum sint igitur & iustitia, & prudentia, aicēq;
hirtutes, tum animus ipse, cui ista contingunt, strū
aspectui nostro & tactui subiectum esse quidquam
omnium horum putant: an potius effugere nostrū
obtutum arbitrantur? THE. Nihil horumquidē
opinor cerni posse dicturos. HOS. Quid num
ex hoc genere corporatum esse quicquam facet?
THE. Non idem omnino, neceodem molo re-
spondent ad hanc quæstionem: nam animum psum
quidem corporatum sibi uideri: at sapientiam, & re-
liqua quæ interrogasti omnia, uerentur aut nihil es-
se concedere, aut esse corporibus prædicta confir-
mare. HOS. Sunt uidelicet facti Theatete melie-
res, & humaniores: nam germanissimi quidem illo-
rum, qui quasi indigenitalem integratem retinu-
runt, nihil horum uerentur dicere: sed omnini,
nisi quod manibus premi, tractariq; posset, nihil
quidq; esse contenderent. THE. Ita fere sentit.
HOS. Rursus ergo interrogatione eos adoriatur nā
nobis qdē satis erit, si uel minimā aliquā naturā cō-
cesserint esse sine corpore, dicāt enim qdā in his qua-
carem

carēt corpore, & in ijs quæ corporea sunt, cognati
& simile uideatur, ut utraq; peræque esse credant.
THE. Hærebūt fortasse, si quid illis huiusmodi fu-
erit oblatum. HOS. Quod si tale esse proposueri-
mus id quod est, quale dicam, prius ne illos assen-
suros, nec contraesse dicturos? THE. Isthuc tum
scia fortasse cū dixeris. HOS. Ego uero, quidquid
aliqua facultate erit præditum tali, ut aut alia affi-
cere, aut affici ab alio possit aliquo modo: etiam si
quod afficiet, erit minutissimum, & quod afficie-
tur, semel tantum fuerit affectum: utrūq; dico re-
uera esse. eiusq; quod est, hanc pono definitionem,
ut nihil sit aliud q; facultas. THE. Illi uero cū
nihil ipsi melius in præsentia afferre possint, hoc
accipiunt scilicet. HOS. Pulchrè. nam postea for-
tasse nec nobis, nec illis ita uidebitur sed hoc tem-
pore ita nobis maneat cum illis constitutum, atque
concessum. THE. Manet. HOS. Iamq; ad al-
teros transeamus, qui species quasdam amplectun-
tur, ac diligit. Tu uero nobis ea quoq; quæ ab his
dicuntur, interpretare. THE. Placet. HOS.
Aliud (opinor) ortum uocatis, aliud eam naturam
qua res esse dicuntur, quam essentiam diximus no-
minari. THE. Ita facimus. HOS. Et cor-
pore nos quidem cum rerum ortu quandam habere

commis

PLATONIS

communionem, eamq; esse positam in sensibus, animo uero cum uera rerum essentia: eamq; communionem in ratione, atq; in cogitatione uersari, atq; ea percipi. atq; hanc ipsam siue essentiam, siue naturam semper esse uniusmodi dicitis, ortum autem alio tempore aliter affici. THE. Dicimus enim uero. HOS. At istam in utrisque communionem uiri præstantissimi, quo nos tandem nomine putabimus appellare: an non eo, quod iam dudum posuimus: THE. Quod istud est? HOS. Affectionis meminimus, qua res aliquid pati dicitur, tu efficien-
tiae, qua afficit. has facultate quadam fieri ex congres-
sione mutua. Tu uero quid ad haec illi Theatete
sint responsuri, fortasse minus intelligis, ego longa
cosuetudine potui cognoscere. THE. Et quam tandem
oratione afferunt? HOS. Non concedunt nobis id,
quod ad hosce terrigenas de essentia diximus, esse
uerum. TH. Quid est isthuc? HOS. Satis nos arbitramur ea quae sunt, definiisse, cum diceremus ea con-
tineri facultate quadam, qua etiam minimae affectiones,
aut accipiuntur, aut afferuntur. THE. Sic est. HO.
Ad haec ita respondent, ut in ortu quidem conce-
dant partem inesse huius facultatis: in essentiis ue-
ro (quo uocabulo me iadudū pro oīcē uti uides)
nihil huiusmodi concire arbitrantur. THE. Quid
videt?

videturne aliquid dicere? HOS. Hos ita rursus adoriamur, dicemusque; nos uelle paulo etiam apertius discere, concedant ne praeterea animu quidem cognoscere, at essentiam cognitioni esse subiectam. THE. At hoc certe non negant. HOS. Quid, intelligere, atque cognoscere, aut contra cognosci et intelligi, efficientiam, an affectionem esse censetis: an utrumque, an in uno affectionem, in altero efficientiam ponitis: an neutrum illis ulla ex parte creditis inesse? nec dubium, quin neutrum inesse respondeant: nam aliqui cum superioribus eorum discreparet oratio. THE. Satishuc quidem intelligo. HOS. Quare si cognoscere et scire, est aliquo modo afficere, necesse est id quod scitur, pati, atque affici. Et hac de causa essentiam quae cognitione comprehenditur, eo ipso quod cognoscitur, in motu esse, propterea quod cognitione recipiat, eaque patiatur: hoc autem ei quod questus accidere posse non arbitramur. TH. Et recte quidem. HO. An, per louem, facile nobis persuadebitur, ei que uerem, et omnino est, nullum esse reuera nec motum, nec uitam, nec animu, nec ullam denique, inesse sagacitatem atque prudentiam: ut ei et uiuere, et sapere prorsus admiratur: uique, sancta illa, et uenerabili mente priuatam, cessare semper, et consistere sine omni motu potetur. TH. Durum hoc quidem erit, Hospes, admittere

PLATONIS

mittere. HOS. An uero mentem assignabimus,
uitam denegabimus? THE. Hoc qui possemus e
hos. An ut utrumque ei assignetur, in animo ta
men ea esse posita negabuntur? THE. At qui non
video alium locum. HOS. An ei potius, & uitam,
& animum dabimus: sed quamvis sit animatum, ta
men omni motione priuabimus? THE. Haec com
muni a mihi quidē aratione uidetur uel maxime aliena.
HOS. Et motū uero, & id quod motu cierit, inter
ea quae sunt, debere ponī, fatendum est. TH. Ma
xime. HOS. Ex quo conficitur Theatete, nulli rei,
quae quidē sit immobilis, mentem & intelligentiam,
ullo loco, aut ullo modo posse inesse, THE. Valde
tibi assentior. HOS. At uero si omnia moueri da
mus, & agitari, fieri etiam hoc modo, ut id ipsum de
quo loquimur, negetur in rerum esse natura THE.
Quo pacto? HOS. Quod est ex ipsis, & eodem
modo, in ipsisq; uersatur, an tibi uidetur unquam
fuisse sine summa stabilitate? THE. Mihi uero ne
quaquam. HOS. Quid sine ipsis, quae cōmemorauim
us, an ullo loco mētem aut esse uides, aut fuisse?
THE. Ne hoc quidem video. HOS. At si quis
erit, qui scientia, sapientiaque sublata, aut mente de
leta, de alia quipiam re asseueret, cum hoc erit nobis
omni ratione pugnandum. THE, omnino HOS.

Philo

Philosopho certe, & maxime si cui hæc sunt curæ,
& in aliquo precio, ob hæc ipsa plane necesse est,
opinor, nec eorum approbare sententiam, qui cum
uniuersum putent, aut una specie, aut pluribus conti-
neri, motū ei eripiunt omnem, ac stable faciunt: nec
rursus eorum, qui id quod est, motu cōcitant semper
terno: sed hoc ipsum quod est, omnēmque uniuersi-
tatem, ueriusq; naturæ esse dicemus, prout loca, &
quasi sedes in quibus uersantur, aut immobileis, aut
mobileis, iudicabimus postulare. THE. Sunt ista
uerissima. HOS. Quid igitur, an non satis etiam
id quod est, cōplexi uidemur oratione? THE. Sane
arbitror. HOS. Papæ mi Theætete: ut mihi nihil
etiam aliud in hac uidemur inuenisse, q; quæstionis
difficultatem. THE. Quid ita quæso? HOS. Nō
sentis bone adolescēs, nos in maxima huius quæ-
stionis ignoratione uersari, & tamē nobis aliquid
dicere uideri? THE. Mihi quidem certe: sed ubi
per imprudētiā lapsi simus, plane nō video HO.
Hoc etiam, atq; etiam uide, si quæ diximus, nunc ita
constituerimus, quemadmodum dixi, possimūs ne
optimo iure, eodē modo interrogari, quo illi à nobis
interrogabantur, qui dicunt uniuersitatem ex fri-
gore, & calore esse concretam. THE. Quæ name
erat illa interrogatio: redige quæso in memoriam.

HOS. Id

PLATONIS

HOS. Id quidē conabor omnino: tēq; nunc interro
 gabo, quemadmodum illos prius, ut interim etiam
 progrediamur aliquantulum. TH. Placet. HO.
 Age, motum, & quietem, nō ne censes maxime in-
 ter se esse contraria: THE. Quid nis? HO. Atqui
 utrumq; eorum, & alterutrum similiter esse dicis.
 THE. sic est eniuero. HOS. Cū concedis esse,
 placet ne etian ea motu quodā cieri? TH. Minime
 uero. HOS. An igitur ea stare significas cum esse
 dicis? THE. Ne hoc quidē. HOS. Iam in animo
 tertium quiddā quod sit, complectaris, quod in se &
 motū contineat, & quietē, quarum rerū tu communi-
 onē intuens, in eo quod essentiæ participes sunt, id
 circa eas ambas esse dixisti. THE. Prope adduci-
 mur tertiu quiddā edere, quod esse dicamus, quoties
 motū esse, & statū, seu requie esse pronunciamus.
 HO. Non igitur id quod est, utrūq; cōpleteatur, id
 est motionē, & quietē, sed aliud quiddā præter ista.
 TH. Ita uidetur. HOS. Ergo quod est, suapte natu-
 ra, nec stat, nec impellitur. TH. Scilicet. HO. Quid
 etiam restat, quo, qui cupiat secum aliquid hac de re
 cerii statuere, animum suū possit, cogitationemq; cō-
 uertere? THE. Quid censes? HOS. Haud facile
 quisquā quo se cōuertat, inuenerit. Quod enim nul-
 lo motu cietur, qui fieri potest, ut non quiescere di-

caius,

catur, atq; consistere: cōtraq; quod non cōsistit, quo
pacto putari possit immobile: nūc aut id quod est,
demonstrauius extra utrumq; possum esse: quid,
itāne fieri posse censes? THE. Ego uero minime
censeo. HOSP. At illud æquum est nos memo-
ria retinuisse. THE. Quid nam? HOSP.
Nos, cū quæreretur, id quod nō est, quorsum refer-
retur, in summa fuisse dubitatio: meministin? TH.
Quid ni? HOS. Quid, hæc cine dubitatio: & hæc
de eo quod est, quæstio, nū facilius uidetur? THE.
Mihi uero etiā maiori quadā uidemur, Hospes, dif-
ficultate impediti, si modo ulla esse maior potest.
HOSP. Ergo hoc quidem loco quæstionem relin-
guamus, nondum omni obscuritate discussa. Et quo-
niam utrumque, & id quod est, & id quod non
est, tantundem habet difficultatis: spes est, si alte-
rutm se nobis uel clarius obiulerit, uel obscurius,
etiam alterum eodem modo appariturum. Atque,
etiam si futurum sit, ut neutrum possimus uidere,
tamen ipsa disputatio, sic optimè conuenientissimeq;
processerit, si pariter utrumque tractabitur. TH.
Recte. HOSP. Ideoq; dicamus, quemadmodum
pluribus sæpe uocabulis hoc idem nominemus.

THE. Aliquod exemplum uelim proferas
HOSP. Multa homini quotidie nomina damus,

PLATONIS

ut & colores ei, magnitudinesq; & figuræ, & mis-
eria, uiriutesq; tribuamus: quibus in omnibus, alijsq;
innumeris, non modo hominē eum dicimus. sed etiā
bonitatē ei assignamus, & alia infinita: nec in homi-
ne solū: sed in alijs quoque idem facimus, ut primū
quang; rem unam esse ponamus, deinde rursum mul-
tas, & multis nominibus notatas. THE. Vera lo-
queris. HOS. Hinc opinor adolescentibus, & qui-
cunq; grandiores natu disciplinas consequantur, oc-
casionem dari, facultatemq; carpendi. Nam cui nō
sit facilimum reprehendere, ut quod fieri nullo mo-
do possit, ut aut unum multa, aut multa sint unum.
Et uero sibi in eo quoq; applaudunt, cùm nos uelat
dicere aliquem hominem bonum: sed quod bonum
est, bonum censem dicendū, hominem tantummodo
hominem uocandum. In hoc te genus hominum sæ-
pe numero puto incurrere, qui sint ista, similiaq;
meditati, cùm sint ætate admodum grandi, & præ
inopia sanæ mentis admirantur, & præclarum se
quiddam putent inuenisse, plenūq; sapientiæ. THE.
Ita est. HOS. Ut igitur ad omnes, qui post homi-
num memoriā aliquid de essentia disputationerunt,
nostra se conuerat oratio, quæ deinceps dicentur,
& ad hos ipsos, & ad eos quos paulo antè sumus
allocuti, sic instituantur, ut eos tantummodo interro-
gemus

rogemus. THE. Quibus modis interrogabimus? HOS. Quæremus, utrum esse, & stare, & moueri, non sint connectenda, neq; quidquā horum aliud alij sit conglutinandum: sed pro simplicibus syncretisq; sint habenda, neq; ullam permīstionē recipientia: an magis hæc omnia confundenda, dicendūmq; & sui partem cum alijs posse communicare, & recipere aliorum: an quædam posse, alia non posse? Horum Theætete omnium, quid illos malle dicemus? THE. Evidem pro illis nihil habeo quod ad ista respondeam. quin tu igitur potius inquiris, quid ex quaq; responsione sit consequens. HOS. Recte narras: ac si uidetur, fingamus illos negare quidq; ullo modo cum alio ullam habere communionē: qua quidem ratione, motus, & status, nullam essentiæ partem habebunt. THE. Nullam plane. HOS. Quid, an alterutrum erit essentiæ particeps? THE. Minime. HOS. Nempe si hæc ita posuerimus, ruere statim omnia, & concident. eorumq; sententia, qui mobile faciunt uniuersum: & eorum qui defigunt id ipsum, quia sit unum, tota labefiet. Ne eoru*m* qui consistet, qui quæcunq; sunt, informis quibusdam semper sui similibus esse posua asseuerant. Adiungitur enim, esse, uerbum ab his omnibus: nā aut mobilia esse dicunt, aut stabilia esse, atq; fixa.

PLATONIS

THE. Plane ita se res habet. HOSP. Sed & hi qui interdum conglutinant omnia, quæcunq; sunt in rerum natura: aliâs separant, & ita diuidunt, ut aut in unum, quod infinita producat: aut in certum numerum elementorum uniuersa dispertiantur, ex quibus cuncta componi dicant: hi omneis, inquam, nihil dicere reperientur, si nulla est omnis norerum communio, nulla societas, atque permissio: nec refert, interdumne illa fieri, an uero semper affirment. THE. Recte. HOSP. Quin & ipsi præ cæteris omnibus ridiculi reperiemur, si nullam rem patiamur, propter alterius communionem, eius ipsius uocabulo nuncupari. THE. Quid ita? HOS. Esse, uerbo fere ubique coguntur uti, & seorsum esse, & cum alijs, & per se, alijsq; sexcentis: quibus cum nequeant abstinere, quin ea sermonibus suis misceant, non requirunt aliorum refutationem: sed quemadmodum dici sollet, domesticum hostem, & aduersarium, quasi quendam ineptum Euryclem circumferunt, qui intus semper obstrepatur, & obmurmureret. THE. Et simile est, id quod dicis, & uerum. HOSP. Quid si omnia inter se permisceri posse patiamur: quanq; hoc quidem ipse possum dissoluere. THE. Quoniam modo? HOS. Quia omnino, & motio staret,

ret, & status cōmoueretur, si esset, ut alijs alia suc-
cederent, inter seqꝫ confunderentur. at credo nihil
minus posse fieri necesse est: quam aut mobilia co-
sistere, aut stabilia moueri. THE. Quid ni sit ne-
cessē. HOS. Tertium igitur solum restat. THE.
Est ita. HOS. Vnum enim uero ex his necessariū
est, aut omnia solere misceri, aut nihil: aut quædā
posse: alia non posse. THE. Ita necesse est. HOS.
Nam duo quidem inueniri nullo modo possunt.
THE. Scilicet. HOS. Ergo, qui quidem re-
spondere recte uoleat, id unum quod post tria su-
pererit, ponet. THE. Omnino. HOS. Quo-
niā igitur alia permisceri uolunt, alia recusant:
uidentur ferē eiusdem conditionis esse, qua literā.
Nam & harum aliæ non quadrant inter se: aliæ
quadrant, possuntqꝫ coalescere. THE. Sic est.
HOS. Vocaleis enim præ cæteris, omnibus se li-
teris inferunt, suntqꝫ quasi uinculum loco: ut si-
ne harum aliqua non possint reliquæ ullo modo
coire, atqꝫ conglutinari, THE. Nihil uerius. HO.
An igitur cuiusuis est scire, quæ cum quibus ha-
beant communionem: an ut id rectè fiat, opus erit
arte? THE. Arte uero opus erit. HOS. Quæ-
nam erit ea? THE. Grammatica. HOS. Quid, in
canendi sonis grauibus, atqꝫ acutis, nonne qui po-

PLATONIS

serit eorū temperationes arte, & cognitione comprehendere, hunc Musicum appellabimus: qui non poterit, eum negabimus Musicum? THE. Censo. HOS. Atque in cæteris tum artibus, tum inertijs, ut ita dicam, idem reperietur. THE. Ac necesse est. HOSP. Quid, cum & genera cum generibus isto modo misceri constet: an non in disputando ars quædam & scientia adhibenda est, ut rectè explicetur, quæ genera quibus consentiant, & quodammodo consonent: & à quibus discrepant, ac refugiant: simul & illud explanetur, sint ne ita copulata omnia, atque concreta, ut confundi permiscerij possint: & rursus si diuidantur, possint ne aliæ caussæ esse diuisionis? THE. Nam sine scientia qui possint ista fieri, & ea quidem maxima? HOSP. Quam igitur hanc quoque Theætete nominabimus? an, per Iouem, imprudentes in scientiam quandam dignam homine libero incurritus: nec longe absimus, quin dum sophistam quærimus, Philosophum inuenerimus priorem? THE. Quid ita? HOSP. Res omnes distinguere, ac diuidere generatim, nec speciem, quæ sit eadem, aliam putare: nec quæ sit alia, eandem: an non Dialecticæ proprium esse dicemus? THE. Omnia HOSP. Ergo qui hoc poterit

poterit, is satis perspicit, etiam si omnia distincta ponantur, tamen unam quandam esse formam, per cæteras, quæ sunt plurimæ, pertineat, atque diffusam. Et has ipsas inter se differentes, ab una forma extrinsecus contineri, quæ uniuersis, quas rum magnus est numerus, una quadam coagmentatione connexa sit: illas autem uniuersas suis inter se limitibus esse distinctas. Hoc autem intelligere, est rerum omnium, formarumq; communione, aut discrepantiam generatim posse cognoscere. THE. Sane. HOS. At differendicationem, quam Dialecticam dicimus, nemini dabitis (opinor) nisi qui syncerè, & legitime philosophetur. THE. Certe nemini. HOSP. Ergo tali quodam loco Philosophum semper reperiemus, difficultem etiam illum ad uidendum, manifestoq; deprehendendum, sed tamen longe est alia sophistæ quam Philosophi difficultas. THE. Qui uero? HOSP. Quia ille fugitiuorum more, se in obscurum angulum recipiens eius quod non est: atque ei diu multumq; inhærens, propter obscuritatem latibuli, deprehendi facile non potest: itane censes? THE. Verisimilia prædicas. HOS. At uero Philosophus, quia se ad speciem eius quod est, cogitatione applicat, ne ipse quidem facilis est ad

PLATONIS

contuēdum, quōd tam in illustri regione ueretur.
Maior enim hominum pars non ita uiget mente,
ut aciem suam contra diuinitatem possit intende-
re. THE. Et hæc æque mihi uerisimilia uidetur.
HOS. Ac Philosophum quidem, si uidebitur com-
modum, aliquando acrius fortasse contemplabimur,
at sophistam hoc tempore urgebimus, nec quicquā
remittemus, dum satis eum considerauisse uidea-
mur. THE. Præclare. HOSP. Quum igi-
tur statuerimus quædam genera recipere mutuam
communionem, alia repudiare: & partim eoru quæ
recipiunt, exiguum quandam habere cognitionem,
alia maiorem, quædam etiam tota cum totis posse
sine ullo impedimento coire, atque confundi: quod
relicuum est persequamur: considerationemq; no-
stram ita instituamus, ut quædam genera omit-
tantur, ne quid nos multitudo ipsa perturbet: sed
selectis quibusdam quæ maxima putantur, pri-
mum omnium cuiusmodi sit, quidq; uideamus, de-
inde quæ sit in illis uis, ac natura societatis, ut id
quod est, & id quod non est, si non planissimè po-
terimus intelligere, at ne prorsus inopes simus in
explicando, atque ieconi, quantum ratio nostræ cō-
siderationis feret, permittetq; nobis impunè esse,
sicubi forte per similitudinem, quod non est, tam-
etsi

et si non sit, tamen id reuera esse dicamus. THE.
Ita fieri placet. HOSP. At genera quorum
meminimus, maxima sunt hæc tria: id ipsum quod
est: & status: & motio. THEÆ. Ac longe
quidem maxima. HOSP. Horum autem duo ne
minima quidem societate permista sunt. THE.
Prorsus ita se res habet. HOSP. At id quod
est, utrique mixtum est, cum de utroque dicatur.
THRÆ. Hoc quoque uerum est. HOSP.
Hoc pacto tria existunt. THE. Maxime. HO.
Et unumquodque diuersum est à reliquis duobus,
à se nullo modo. THE. Sic est. HOSP.
Quod autem illud est, quod nunc dinersi, & eius-
dem nominibus notauimus: an hæc quoque duo
genera sunt, alia quidem illa, quam quæ supra
diximus, sed tamen cum illis necessaria quadam
ac perpetua mixtione confusa, ut iam nobis non
de tribus quæ sint sed de quinque sit agendum. an
hoc ipsum, quod, idem, appellatur, & quod aliud,
atq; diuersum, cum in illis tribus generib; com-
pleteamur, ipsi tamē nos latemus, atq; id facere ne-
scimus? TH. Fortasse. HOS. At uero, nec motio, nec
status, est id quod idē, nec id quod aliud dicitur. T.
Quo pacto? HO. Quod ferè motionē, aut statū ap-
pellare consueimus, id illorum neurū potest esse.

PLATONIS

THE. Quid ita? HOS. Quia & motio stabit:
 & contra status erit mobilis. Nam horum utriusque
 si alterutrum illorum accesserit, coget id immuta-
 ri, & in statum naturae suae contrarium commigra-
 re, quippe cum sit contrarij particeps. THE.
 Est ita omnino. HOS. Atqui neutrum est ex-
 pers, eorum que his nominibus indicantur, eiusdem,
 atque diuersi. THE. Verum. HOS. Ergo nec
 motionem id dicamus esse, quod idem, aut quod
 aliud uocatur, nec quietem, quem & statum dici-
 mus. THE. Ne sane. HOSP. An porro id
 quod est, & id quod idem dicitur, quasi de uno
 sunt intelligenda? THE. Fortasse. HOSP.
 At enim, si his uerbis id quod est, & idem, nihil
 diuersum significatur, cum motum, & statum es-
 se dicimus, utrumque idem esse eo ipso quod sunt,
 assuerabimus. THE. At hoc fieri profecto non
 potest. HOS. Ergo ne hoc quidem poterit, ut
 his uocabulis, id quod est, & idem, una res denote-
 tur. THE. Opinor. HOSP. Restat igitur, ut
 praeter illa tria genera, quarta quædam forma pona-
 tur, quam indicemus hoc nomine, eiusdem. THE.
 Ponatur omnino. HOS. Quid de eo statuendum,
 quod aliud dicitur, quartumne numerabitur, an haec
 duo uerba, id quod est, & aliud, ad unum quoddam
 genus

genus animo, & cogitatione referentur? THE.

Equidem dubito. HOSP. At te non puto negaturum, eorum quæ sunt, partim per se esse dici, partim ad alia semper referri. THEÆ. Concedo. HOS. Ethoc uocabulum, aliud, semper ad aliud esse referendum. THE. Ita censeo. HOSP.

Hoc non fieret, nisi id quod est, & aliud, longe inter se lateq; distarent. sed si id quod aliud, siue diuersum uocatur, utriusque generis particeps esset, ut id quod est: fieret interdum, ut aliquid eorum, quæ alia dicuntur, ad nullam aliam rem referretur. nunc autem re ipsa uidemus fieri, ut, quæcunq; res alia dicitur, id ipsum quod est, non possit intelligi, nisi cum alia comparetur. THE. Vera narras.

HOS. Ergo quintam esse naturam eius quod aliud uocatur, statuendum est, quæ superioribus generibus addatur. THE. Ita est. HOS. Eamq; naturam per omneis reliquas species commeare dicemus, easq; penetrare. Nam unamquamque rem esse aliam, ab alijsq; secretam non suapte natura, sed quia sit alicuius formæ particeps, quæ in aliare inest. THE. Prorsus assentior. HOS. Sic igitur dicamus de his quinque generibus, singulatim ea repetentes, THEÆ. Quo modo censes?

HOSP. Primum omnium motionem prorsus esse aliud,

PLATONIS

se aliud, quam quietem, nisi tu in eo forte dissentis. THE. Imo uero tibi assentior. HOSP. Non est ergo quies. THEAE. Minime uero. HO. Est tamen certe: cum sit eius quod est, particeps. THE. sane. HOSP. Rursus autem motus aliud est, quam quod idem appellatur. TH. Credo. HOSP. Non idem ergo. THEAE. Non sane. HOSP. Atqui motus erat idem, quoniam eo, quod idem dicitur, nulla planè res caret. THEAE. Motum igitur, et idem esse, et non idem, confitendum est: neque est causa cur hoc durum esse uideatur, cum a nobis idem, et non idem, non eodem modo dicta sint. Cum enim dicimus idem, id facimus propter participationem eiusdem: cum, non idem, dicimus, fit propter communionem aliis seu diuersi, qua secreta ab eodem, atque distincta, nomine quoque ipso distinguitur, itaque recte non idem dicitur. THE Optime. HOS. Eodem modo si motus aliquam partem a statu sumeret, seu quiete (pro eodem enim quietem et statum ponimus) non absurde stabilem eum non minaremus. THEAE. Rectissime sane, si genera quædam confiteamur accipere missionem, alia nullo modo posse misceri. HOSP. Atque huius quidem explicationem aggrediamur prius, quam

ea quæ nunc sunt in manibus: ostendamusque na-
turam huius ita se habere quemadmodum diximus.

THE. fiat. HOS. Ergo ad hūc modum denuo di-
camus, motum distare, & aliud esse, quam quod
aliud dicitur: ut etiam distabat ab eo quod idem di-
citur: itemque ab eo quod status. THE. Est
ita necessario. HOSP. Est igitur hac quidem
ratione & non aliud quodam modo, & aliud.

THE. Verum. HOSP. Quid ergo reli-
quum est an eum à tribus quidem differre, sed
idem quod quartum esse dicemus, cū cōmuniciter sta-
tuerimus quinque ea esse, in quæ, & de quibus pro-
posueramus inquirere? THE. Enim uero mi-
norem numerum esse concedere qui possumus, quam
eum quem supra ostendimus? HOSP. Ergo mo-
tum aliud esse, quam id quod est, audeamus sine
ulla cunctatione contendere. THE. Maxime.

HOSP. Perspicuum est igitur motionem, & non
esse reuera, & esse, quia sit eius quod est, particeps.

THE. Nihil certius. HOSP. Ita fit, ut non
esse, & in motu, & in omnibus reliquis generibus
ineesse uideatur. Nam eius quod aliud appellatur,
natura per omnia commens, quancunq; rem aliam,
quam id quod est, efficit, eam facit nullā esse reuera.

itaq;

PLATONIS

Itaque omnia recte in eorum numero quæ nō sunt, reponemus: ac rursus quia non sunt expertia eius quod est, ipsa quoq; esse, & ijs quæ sunt, ascribenda censemus. THE. Probabilia quæ narras uidentur. HOS. In singulis ergo rerum formis, quod est, multū illud quidem est, & copiosum. sed id quod non est, infinitum est, & innumerabile. THE. Et hoc quoq; probabile est. HOS. Dubitabimus igitur quin id quod est, aliud sit dicendum esse, quam cætera? THE. Plane necesse est. HOS. Sequitur, ut id quod est, non sit in omnibus rebus, quæ sunt præter ipsum: & quoniam non est ea quæ sunt præter ipsum, sit ut simplex unumque sit, non alia: quæ nullo numero possint comprehendi. THE. Evidem suspicor ita se rem habere. HOS. Nec uero nos ista magnopere torqueant, cum generum naturam tanta inter se cognatione deuinctam esse uideamus, quod si quis ista non concesserit, si modo superiora induxit animū credere. etiam posteriora credat necesse est. THE. Nihil iniqui postulas. HOS. Sed hoc quoque uideamus. THE. Quid tandem? HOS. Cum ita loquimur, hoc aut illud non est, non uidemur dicere, id ei quod est, esse contrarium, sed solum aliud esse, atq; diuersum. THE. Qui uero? HOS. Veluti cum aliquid

aliquid dicimus non magnum, magis nos eo uerbo paruitatem significare, quam æqualitatem arbitris? THEÆ. Nam qui possim? HOSP. Non igitur quoties in oratiœ negatio ponitur, continuo cœcedemus eam contrarij aliquid indicate: sed cum, non, & haud, nominibus præponuntur, tantummodo diuersitatem notari putabimus, qua nomina, quæ negationem sequuntur, aut potius res ipsæ, quibus attributa sunt nomina, ab alijs differant.

THE. Plane ita est. HOSP. Illud etiam uideamus, an tibi quoq; probetur. THEÆ. Quid nam id est? HOS. Natura diuersitatis non minus in exigua parteis concisa mihi uideri solet, quam scientia. THEÆ. Quid ita? HOSP. Nam & scientia ipsa, est illa quidem una, sed singulæ partes, quæ uersantur in quaque re, separatis proprium quasi cognomen, ac singulare obtinent: itaque multæ arteis, scientiæq; numerantur.

THE. Ita est. HOSP. Quid, an non idem sit in diuersitate, ut partes eius distinguantur, cum sit una ipsa diuersitas? THE. Crediderim e quidem sed quomodo fiat, aueam scire. HOS.

Honesto ēstne pars alijs cuiuspiam rei, quæ soleat opponi? THE. Est uero. HOSP. Id autem omni nomine carere dicemus, an etiam habere no-

men

PLATONIS

men quo designetur? THE. Omnino habere. nam quod uulgo non honestum dicitur, id non est ab ulla re alia diuersum, nisi à natura honesti. HOS. Age nunc illud mihi uelim dicas. THE. Quod nam? HOS. Nonne diuulsiōne, qua aliquid, ab eorum aliquo quae sunt, separatur, & rursus oppositōne qua opponitur, id existit, quod non pulchrum dicitur? THE. Scilicet. HOS. Cum sit autem id cui opponitur, id est pulchrum, siue honestum: sequitur (ni fallor) etiam hoc esse quod opponitur, id est, non pulchrum, aut non honestum. THE. Magnopere assentior. HO. Quid igitur, num hac ratione quod honestum est, magis esse, quam quod tale non est, inuenitur? THE. Nihilo magis arbitror. HOS. Ergo quod magnum non est, & que dicemus esse, quam quod magnum est? THE. Plane eodem modo. HOS. Et iniustum iusto par in eo, & & quale ponetur, ut alterum nihilo magis quam alterum esse videatur. THE. Quid ni? HOS. Ade alijs eodem modo statuendū est, dummodo alterius naturam inter ea quae sunt, esse cōpareat. Quod si ita est, etiam partes eius & que esse oportebit. THE. Omnino. HOS. Ex quibus illud mihi uidetur confici, cum aut natura partis alterius, aut id ipsum quod est, alijs quae quasi ex altera parte respondent

spondent, opponiur, ipsam eam oppositionem si fas
esset dicere, non minus esse, q̄rem ipsam: nec quid-
quam contrarium significare, sed tantum diuersita-
tem alterius indicare. THE. Non dubium id
quidem est. HOSP. Quo autem nomine eam ap-
pellabimus?. THE. Vocabimus, id quod nō est:
atque hoc id ipsum est, quod sophistæ inuenien-
di gratia quæsuimus. HOSP. Virum igitur,
quemadmodū tute dixisti, à nullare, oppositio ista
uincitur in eo, ut minus esse sit existimanda: abie-
ctaq; omni cunctatione dicendum est, id quod non
est, omnino suā quandā habere naturā, ut quemad-
modum & que sunt, non magnū, & non pulchrum,
quām, magnum & pulchrum, ita similiter quod non
est, sit inter reliqua rerum genera numerandum,
pro unoque genere ducendum: an aliquid etiam
Theætete superest, quo minus hīc quæ dixi fides
adhibeatur? THE. Prorsus non arbitror.
HOSP. Vides ne igitur à consilio Parmenidis, &
eius uetito longius nos recessisse? THE. Quid
ita? HOSP. Quod ultra, quām ille permiserit,
quæstionem nostram, demonstrationemq; pro-
duximus. THE. Quo pacto? HOSP.
Quoniam ait ille. Nec nuquam

Hac in-

Hac insiste uia, cupiens inquirere uerum.

THEÆ. Ita sane dicit. HOSP. Nos uero. ea quæ non sunt, non modo esse aliquid ostendimus, sed etiā speciē eam demonstrauimus, quò referri conueniat id quod nō est. Nam & esse diuersitatis naturam, eamq; esse concisam, distributāmque peream omnia, quæ inter se aliquo modo comparantur: tum eam diuersitatis partem, quæ ei quod est, in quaue re opponitur, ausi sumus, id ipsum esse, quod non est, asseuerare. THE. Ac mihi quidem, Hospes, uidemur uerissima affirmasse omnia. HOSP. Nec tamen quisquam dixerit, nos cùm statuamus id quod non est, ei quod est, esse contrariū, audere tamen id esse dicere. Nos enim iam pridem destitutus quærerere, sine aliquid eiusmodi: & si sit, possitne uerbis, atque oratione exprimi? Quod autem nunc diximus id esse quod non est, aut nos aliquis refutatis nosiris traducat in suam sententiam, aut dum hoc non poterit, cogatur etiam ipse nobiscum dicere genera generibus misceri, atque confundi: tum etiam id quod est, & id quod aliud intelligitur, ac diuersum, tū inter se ultero. & ciro commeare, tum per omnia rerum genera pertinere. Ac diuersum quod appellatur, est ilud quidem propter eius quod est, societatem sed tam non

men non est id ipsum, cui societate coniungitur, sed aliud quiddam. Et cum sit aliud, quod id quod est, perspicue necessarium est, id esse quod non sit. Atque id quod est, si participauerit ab eo quod aliud dicitur, sit et ipsum aliud genus, ab alijsque diuersum. Et cum sit alius atque reliqua omnia, non est eorum unum quodque, nec etiam uniuersa, nec quidque nisi ipsum. Itaque id quod est, nullo modo alia esse, quae innumerantur. Et infinita, censendum est. Id est de reliquis generibus sentiendum est, tum singulis, tum uniuersis: ut multis modis esse, et multis item modis non esse credantur.

THE. Vera prædicas. hos. Quo circa siue quis erit, qui has repugnantias non probabit, dispi- ciat ipse, et si quid adferre melius potest, adferat. siue quia possit orationem nunc in hanc, nunc in illam partem conuertere, eo sibi placet, quasi difficile aliquid inuenierit, nihil, ut apparet, tanto studio dignum iantique diligentia consecuti sumus. Est enim nec præclarum, nec difficile ad assequendum. Illud autem cum factu non proclive, tum pulchrum est.

THE. Quid quæso? hos. Id quod etiam supra diximus, si quis omissis his, poterit ea quæ in qua- que dicentur, quo ad eius fieri potest, persequi, atque explicare reprehendens, quonies aliquis id quod aliud sit, idem esse dicat, aut quod idem, aliud esse asseue-

G ret; ha-

ret: habensq; cum oratione animum congruentem, & eodem modo affectum. Nam asserere quod idem sit, id aliud esse quodammodo: & quod sit aliud, esse idem, & magna esse parva, & similia dissimilia: eoq; sibi plaudere, si quam maxime contraria, pugnantiaque proferat, nihil haec faciunt ad ueram, germanaque reprehensionem: appareretque cum sit recens hoc reprehendendi genus, eorum esse cuiuspiam, qui nuper hanc de ijs quæ sunt, quæstionem attigerunt.

THE. Sane ita apparet. HOSP. Etenim mihi etenim res omnis uelle sciungere, cum absurdum, tum ab omni studio elegantiorum artium, ac sapientiae alienum. THE. Cur autem? HOSP. Quia sequitur omnis nostræ disputationis euersio, si unaquæque res à reliquis omnibus separetur, cum nos formarum mutuam cōplexionem posuerimus, & quasi coherentiam. THE. Ita est. HOSP. Ac uide quam nihil deliquerimus, cum his hominibus nos opponeremus & eos cogreremus quandam rerū permissionē esse concedere. THE. At quorsum pertinebat? HOSP. Ut illud obtineremus, orationem esse inter rerum genera ponendam: nam se hoc amiserimus. maxima parte philosophie orbabitur: tum & illud hac tempore definiendum est. quid sit

quid sit oratio. quam quidem si nobis eripi patiamur, eamq; nihil omnino esse fateamur, nihil erit quod quisquam eloqui possit. At id iam factum fuisset, si concessissimus non esse mistas res, nec ulla cognitione confusas. THE. Recte hoc quidem: sed cur oratio constituenda sit, nondum intellexi. HOSP. At si me hac sequare, facilime te intellecturum puto. THE. Quā? HOSP. Sane id quod non est, aliquid eorum esse quæ sunt, docuimus, ac per omnia genera rerum esse diffusum. THE. Est ita, ut dicis. HOS. Sequitur, ut deinde uideamus, possit ne quod non est, cum opinione, & cum oratione misceri. THE. Quā obcaussam? HOSP. Nam nisi misceatur, uera sint omnia necesse est: sin misceatur, opinio falsa, & falsa existit oratio. Nam sentire aut loqui ea, quæ non sunt, falsitas est, animo aut orationi accidens. THE. Sic est. HOSP. Atqui si falsitas est, est etiā fraus, & circumscrip^tio. THE. Recte. HOSP. Si porro fraus est: imaginibus, & formis, inanibusq; simulacris necesse est omnia redundare. THE. Maximē. HO. At sophistā quidē in hunc ferē locū cōfugisse, aīq; in hūc se abdidisse angulū dixeramus, negantē mendaciū ac falsitatē in rerū esse natu

G ij ra:quod

ra: quod id quod non sit, ne cogitari quidē possit, aut
 exprimi. Non enim posse quod non sit, eius naturæ
 qua sunt omnia, ullo modo particeps esse. THE.
 Hæc ita facta sunt. HOS. Nunc autem hoc quidem
 ostendimus, id quod non est, eius quod est, habere
 communionem: nec quod ad hanc partem attinet,
 magnopere nobiscū pugnaturū sophistam arbitror.
 Illud autem fortasse dixerit, quædā genera, cum eo
 quod non est, habere communionē, quædā itē non
 habere: & in his opinionē siue sententiā, & oratio-
 nem oportere numerari: ita ne artem quidem imagi-
 nes, ac species adumbrandi, in qua illum uersari di-
 cimus, omnino in natura esse contēdet, quippe cùm
 opinio, & oratio, ab eo quod non est, abhorrire uis-
 deantur: sublatā enim hac communione, falsitatem
 quoq; omnē esse sublatam. Quamobrē ante omnia,
 quid sit oratio, quid opinio, quid uisio quæramus, ut
 his perspectis, etiā societatem quā habeant cum eo
 quod non est, cōmunionemq; uideamus: & hac ani-
 maduersa, falso sum quoq; ostendamus in hīs quæ sunt
 collocari debere: quo ostendo, sophistam, siquidē no-
 cens uidebitur, falsitati alligemus: aut si hic absol-
 uerimus, in alio eum genere quæramus. THE. Vi-
 deo me hercule, Hospes, uerissimū esse id quod ini-
 tio dixeramus, sophistarū genus difficile esse captu.

Nam

Nā & propugnaculis eos abundare, quorū cum ali
quod obiectum est, id prius expugnandū est, quam
ad ipsos liceat accedere: & nunc postea quā uix lon-
go labore confecimus iādem eam quæstionem, qua
negauerat ea esse quæ per negationem efferuntur:
eamq; arcem cepimus: ecce aliam occupat, ac nobis
opponit: cogimurq; docere falsum, & in opinione,
& in oratione uersari, atque hoc quoq; confecto ali-
ud ex alio fortassis orietur, & quanū video, nullus
unquam finis, aut exitus reperietur. HOSP. Bono
esse animo Thætete conuenit eum, qui uel paululū
proficere poterit, & aliquem facere progressum.
quid enim de eos sperandū in alijs, qui in hisce nō sa-
tis amimi habebit? certe re infecta, aut etiā repulsas
nullo modo, quemadmodum dicitur, urbem poterit
expugnare qui ita erit animatus. nunc autem si hoc
erit confectum, murum sophistæ, præsidiumq; ce-
perimus maximum, eruntq; cæteratum minutiora,
cum negotijs faceſſent minus. THEAE. Pulchre pol-
liceris: Hos. Ergo ante omnia de oratione, & de
opinione, seu sententia disputemus, ut probabilius
de eo possimus respondere, utrum id quod non est,
has res aliqua ex parte contingat, an dicendum sit
utrumq; semper esse uerum, & in neutrū unquam
cadere falsitatem. THEAE. Recte. HOSP. Age

G ij uero

PLATONIS

uero quemadmodum de formis, itemq; de literis
disputauimus, eodem modo de nominibus differa-
mus. Nam h̄ac ferè ratione, id quod inquirimus,
nobis se exhibet. THE. Quid autem est
illud, quod de nominibus intelligendum putas?
HOSP. Vtrum conueniant inter se omnia, an
discrepent: an alia conueniant, alia discrepent.
THE. At perspicuū hoc quidem est, quædam con-
gruere, quædam item dissidere. HOS. Illa (credo)
cohærere dicas, & conuenire, quæ si continenter
efferantur, aliquid significant, ut contra, quæ nihil
significant, non cohærere, nec conuenire. THE. Quid?
quo pacto ista dixisti? HOSP. Ea dixi,
quæ te putabam, simul ut audisses, non negaturum.
Etenim in uoce nostra, ad ea quæ sunt, demon-
stranda, duplex est notarum genus. THE. Quo
modo? HOS. Alterum genus uerbum, alterum
nomen appellant. THE. Verumque uelim edis-
seras. HOS. Quod actionibus significandis at-
tribuitur, id uerbum dicitur. THE. Verum.
HOS. At id quod eos ipsos qui agunt, indicat, no-
men uocatur. THE. Ethoc uerum. HOSP.
Ergo nec si nomina continues sola, sine uerbis: nec
si uerba sine nominibus, existit oratio. THE.
Non intellexi. HOSP. Alio te igitur spectas-
se opor-

se oportet, cùm mihi pauloantè assentirère. Sic e-
nīm dicebam, si hunc in modum, quamvis longa
uerborum utamur continuacione, uel nominum,
nullam tamen orationem futuram. THE. Quo
tandem modo? HOSP. Veluti si quis ita dicat:
ingreditur, : currit : dormit : uerba denique actio-
num significantia, continenter omnia, atque ordi-
ne enunciet: nihilo magis orationem confecerit.

THE. Nam quo pacto posset? HOS. Nec
hero contra, cùm hoc modo dicitur, equus: leo: cer-
nus: & uniuersa eorum à quibus actiones obeun-
tur, ac fiunt, nomina unum in locum conferuntur,
ulla conficitur oratio, cùm nullam actionem, aut
actionis uacuitatem, nec eius quod est, neq; etiam
eius quod nō est, naturam, ita enunciata declarent,
nisi cum nominibus, uerba quasi temperentur: tunc
enim congruunt: cōfestimq; fit oratio. & prima no-
minis uerbiq; connexio, prima oratio est, licet mini-
ma. THE. Quo pacto ista accipienda sint, expli-
ca. HOS. Si quis ita dicat: homo dicit, putas ne
hanc orationē esse, minimā illam quidem, sed tamē
primā? THE. Ego uero puto. HOS. Etenim iā de-
clarat aliquid, aut de rebus ijs quæ sunt, aut fiūt, aut
facta sunt, aut etiam de futuris: nec nominat solū
res, sed perfectum quiddam de rebus edit, atq; abso-

PLATONIS

latum, idq; nominum, ac uerborum copulatione ef-
 ficit: & ita deniq; dicere eū, nō solū nominare ar-
 bitramur, & quod ita copulatur, orationē uocamus.
 THE. Et rectè quidem. HOS. Itaq; quemadmo-
 dum res, aliæ quidem consentiebant inter se, &
 quadrabant, aliæ discrepabant: sic in uoce nostra
 quædam notaे rerum non cohærent, at eae quæ co-
 hærent, constituere solent orationem. THE. Mas-
 xime. HOS. Addamus exiguum quiddam. THE.
 Quid id erit? HOS. Orationem necesse esse, ut
 sit oratio, alicuius orationem esse: nullius oratio-
 nem esse non posse. THE. Sic est. HOSP. Non
 etiam eam aliquo modo affectā esse oportet? TH.
 Quid ni? HOS. Aduertamus igitur animum, ob-
 seruemusq; nos ipsi diligentissimè. THE. Sane
 conuenit. HOSP. Ergo efferam orationē, & rem
 cum actione uerbi nominisq; connexione comple-
 etar: ad quem autem pertineat oratio, tu uelim di-
 cas. THE. Annitar equidem sedulo. HOSP.
 Theætetus sedet, num est longa oratio? THEÆ.
 Non, sed modica. HOS. Tuæ nunc sunt parteis
 exponere, de quo homine fit dicta, & ad quæ per-
 tineat oratio. THE. Cui potest esse dubium, quin
 de me dicatur, ad meq; pertineat? HOS. Quid
 porro de hac oratione dicendum est? THE. Qua-
 nam?

nam? HOS. Hac. Theæteus ille, qui cum nunc di-
sputo, uolat. THE. Ne hanc quidem negauerit
quisquam ad me pertinere, ac de me esse dictam.

HOSP. At in omni oratione inesse qualitatem sta-
tuimus oportere. THE. Ita factum. HOS. Harū
igitur uirānq; qualem tandem esse dicemus? TH.
Alteram falsam esse, uerā alteram. HOS. Et ue-
ra quidem oratio de te loquitur, ut se res habet.

THE. Ita omnino. HOS. Falsa uero narrat alia,
quām quæ sunt. THE. Assentior. HOSP. Ergo
quæ non sunt, ita narrat, quasi essent. THE. Ita fe-
rè. HOSP. At ea quæ de te narrat, alia sunt ac di-
uersa, q; quæ reuera sunt. Diximus enim in quaque
re multa uersari quæ sint, atq; item multa quæ non
sint. THE. Diximus enim uero HOS. Quam au-
tem orationem de te posterius extuli, primum ex
ea definitione quam posuimus, breuissimum esse
genus orationis necesse est. THE. Certe ita cō-
senseramus. HOS. Deinde eam alicuius esse, &
ad aliquem pertinere. THE. Prorsus. HOSP.
Quod si ad te non pertinet, ne ad aliud quidem
pertinet quenquam. THE. Ad quem enim posset?
HOS. At quæ ad neminem referetur, ne erit qui-
dem oratio. Ostendimus enim orationem non pos-
se nullius orationem esse, & ad neminem pertine-
re.

PLATONIS

re. THEAE. Reclite narras. HOSP. Ergo de te quidem, cum pro ijsdem narrantur, ea quae sunt alia, atque diuersa: & ea quae non sunt, ut ea quae sunt: eiusmodi uerborum, nominumque coniunctio (nisi quid me fallit) fit oratio, re ipsa, & uerè, falsa, atque uitiosa. THEAE. Ac uerissime quidem. HOSP. Quid: cogitationes, & opiniones, & ea quae se nobis offerunt, uisa, nonne perspicuum est, haec omnia modo uera, tum autem falsa, in animis hominum existere? THE.

Qui tandem liquet? HOS. Ita facilius me intelleges, si primum, quae sint haec omnia, cognoueris, tum, quae sint eorum differentiae, acceperis. TH. Trade modo. HOSP. Cogitationem atque orationem, an non idem ponimus: nec ulla re differre, nisi quod in cogitando secum animus ipse, sine uoce loquitur, ac differit: atque id ipsum non cogitationem uocamus? THE. Est ita.

HOSPE. Quod autem ab animo per os cum sono manat, id appellatur oratio. THE. Sanè.

HOSP. Quin illud quoque uidemus in oratione uersari. THE. Quid tandem? HOSP.

Affirmationem, & negationem scimus esse in oratione. THE. Scimus omnino. HOSP.

Cum haec igitur silentio in animis nostris sola cogitat-

edgitatione fiunt, an aliud huic rei nomen, quam opinionis imponimus? THE Non arbitror. HOS. Quid si, cum non cogitatione, sed aliquo sensu talis oboriatur affectio: an eam alio nomine poterimus notare, quam uisionis? THE. Ne hoc quidem posse fieri puto. HOS. Ergo si quidē paulo ante recte constituitū est, orationē aliā uera, aliā esse falsam: & harū cogitationē, nihil aliud esse, quam animi sermonem, quo animus ipse secum utitur: & opinionem, cogitationis esse quasi conclusionem, atq; perfectionem, ex cogitatiōe sensuq; permisi tam: sequitur necessario, cū sūt his rebus, & orationi tanta cognatio, interdū euenire, ut earū non nullæ falsæ quoque reperiantur. THE. Neq; enim fieri aliter potest. HOSP. Intelligis igitur, falsæ opinionis, falsæq; orationis inuentionem faciliorem esse quam expectaueramus. Verebamur enim paulo ante, ne si hoc inquireremus, opus attentare, quod à nemine perfici posset, uideremur. THE. Intelligo. HOS. Ergo ne in cæteris spēm nostram infringi patiamur: nam cum hæc in lucem proferre potuerimus, ad eas rum diuisionum recordationem, quas singulatim in quaq; specie posuimus, reuertamur. THE. Quarum nā? HOS. Imaginū effectiōe in duas species partem amur, expressionis, et adumbrationis. T. Ita factū.

HOSP.

PLATONIS

HOSP. Ac sophistam nos dicebamus addubitare,
 in ultra parte deberemus collocare. THE. Id
 quoque est factum. HOS. Cumq; in hac dubita-
 tione uersaremur, maior etiam caligo nos circum-
 sterit, dum illa inter omnes controversa disputa-
 tio nobis occurrit, qua nec effigies, nec imagines,
 nec ulla omnino uisa esse dicuntur, quia nec falsi
 quicquam ullo modo in tota rerum natura possit
 existere. THE. Vera sunt, quæ prædictas omnia.
 HOS. Iam uero postq; orationem explicauimus,
 eiusq; naturam & opinionem aliquam esse falsam
 docuimus: nihil prohibet imitationes esse quasdam,
 & simulacra rerum, quas uerè natura produxit: ex
 quibus simulacris, & ea imitandi facultate, ars
 quædam sit nata fallendi, atq; imponendi. THE.
 Nihil sane prohibit. HOSP. At sophistam inter
 hos esse numerandum, qui tali animo ac facultate
 sint prædicti, nonne ante consenseramus? THE.
 Vero. HOS. Denuo igitur bifariam diuidentes id,
 quod proposuimus, ad dextram eius partem tente-
 mus accedere: atq; eo usque communionē sophistæ
 persequamur, dum illum detractis ei, quæ commu-
 nia habet omnibus, propriaq; natura relicta, tu
 nobis ipsis exhibeamus, tu ijs quoq; quorum natura ui-
 debitur q; maximè apposita ad hanc quæstionem,
 expona

exponamus. THE. Rectè sanè. HOS. Non igitur supra efficiendi, acquirendiq; arteis diuidere cœpimus? THE. Maxime. HOS. Non sophistes in ea acquirendi parte, quæ & in captatione, & in concertatione, & in mercatura, & in alijs quibusdam huiuscmodi rebus uersatur, apparuit? THE. In ea ipsa. HOSP. Nunc autem, quoniam cum imitandi facultas continet, omnino effectionem ante omnia bipartito diuidendam puto. Nam imitatio ipsa effectio quædam est, quæ solis tamen (ut opinor, imaginibus attribuitur, non rebus ipsis. THE. Prorsus ita se res habet. HOS. Effectionis autem omnis, primum due sint partes. THE. Quæ tandem? HOSP. Vnum genus est diuinum: alterum humanum. THE &. Nondum quid dicas a sequor. HOS. Effectionem, si modo meminimus superiora: uocauimus eam omnem facultatem atque uim, quæ nascendi caussam præbet ijs, quæ nulla fuerint prius. THE &. Meminimus uero. HOSP. Et animalia uero omnia, quorum uita mortalis est, & caduca: stirpesq; item omneis quas terra fundit è seminibus ac radicibus: tum corpora inanima, quæcunq; uel tenera & liquabilia genuit tellus, aut solida atque dura produxit: hæc, inquam, omnia, cùm prius essent nulla, num postea ab alio quoquam

PLATONIS

quoquam effectore, atque opifice, quam deo, pro-
creata dicentur: an potius in eo uulgaris philoso-
phorum sequemur, eorumque sententiam ita pro-
babimus, ut etiam uocabulo uitamur? THEÆ.

De qua nam sententialoqueris, & quo uocabulo?
HOS. Naturam ne cœses illa generare omnia exfor-
uita aliqua causa, & quæ ad gignendū nullo cōsilio,
nulla ratione, nec mente ducatur: an eam causam
omnem à deo diuina quadam ratione ac sciëtia ma-
nante, tot res, tam multiplicesq; moliri?

THE. Ego forsasse propter ætatis inconstan-
tiam, sœpius sententiam muto: sed cum te in-
tueor, quem non dubito deum ponere eorum om-
nium autorem, sum in eadem & ipse sententia.

HOS. Tu uero rectissimè facis mi Theætete:
ac si te quidem aliter aliquando sensurum puta-
rem, euidenti probatione conarer ad assentien-
dum impellere. Nunc autem, quoniam quæ tua sit
natura video: atque eam intelligo sine meæ dispu-
tationis impulsu, per se ac sua sponte quo trahitur
accedere, atque inclinare: nihil equidem dicam, ac
ne tempus frustra teratur, cauebo: sed ita ponam,
quæcunque natura continetur, partim diuina arte,
atque opificio perfici, partim humana arte indu-
striaque constare: itaque duo efficiendi genera
reperiri-

reperiri, humanum atque diuinum. THE.

Probè HOSPES. Nunc eas artes, quas duas esse diximus, rursum bifariam diuide.

THE. Quo pacto? HOSPES. Quæsi prius effectionem omnem transuersam secueris, nunc eam secundum longitudinem disseca: quod si feceris, quatuor parteis erunt: quarum duæ sint humanæ, ad hominésque referantur: alteræ totidem diuinæ, quippe ad deos pertinentes.

THE. Recte. HOSPES. Atque hæ rursus alio modo dissecantur, ut ab utraque diuisione dimidium deducatur, quod efficiendi facultate donetur, reliquæ duæ partes simulachris, imaginib[us]que tribuantur: atquæ hac quidem ratione, effectio omnis rursum bipartita est. THE. Explica istam quæso partitionem. HOSPES. Nos quidem ipsos, & cætera animalia: tum ea quoque unde orta sunt omnia, ignem, aquam, quæq[ue] sunt eiusdem generis elementa, sine ulla exceptione, à deo scimus perfectæ esse, atque generata: ita ne iudicas mi Theætete? THE.

Prorsus ita iudico. HOSPES. At his omnibus imagines suæ sunt comites, diuersæ ab rebus ipsis: quæ diuina quadam machinatione extiterunt.

THE.

PLATONIS

THE. Quæ tandem imagines? HOSP. Primum
eæ uisiones, eaq; simulachra, quæ in somnis obijci-
untur: & quæ luce sua sponte nasci putantur, qualis
est umbra, cum ignis tenebræq; miscentur: & qua-
lia sunt illa rerum quasi gemella simulacra, quum
proprius splendor, & aliena lux in corpora lucida
læuiaque conueniunt: & rei quæ prius uidebatur,
oppositum è regione sensum excitatæs, specie quan-
dam, imaginemq; gignunt nouam. THE. Ergo duo
sunt diuinæ molitionis opera, res ipsa, & rei cuius-
que comes imago. HO. Quid de hominum arte di-
cemus, an nō uidemus domum ueram ab architecto
effici. alterum à pictore adumbrari, quod sit quasi
sommium quoddam uigilantibus ab homine oblatum?
THE. Sane uidemus. HOS. Item in cæteris, quæ
ab hominibus efficiuntur, bina sunt omnia, quorū
alterum rebus continetur, & rerum effectio dici-
tur: alterum uersatur in imaginibus, & ab his ipsis
nomen inuenit, uocaturq; imaginum adumbratio.
THE. Nunc tandem planius in tellexi: atq; effecti
onis duo genera ponenda arbitor: eamque altera
quidem sectione in humanam diuinamq; tribui: alte-
ravero in rerum ipsarum, eiusq; quod est, propaga-
tionē, & præteria in ueri similitudinis imitationē.
HOS. Illud igitur repetamus, in memoriamq; reuo-
cemos.

cemus imaginum fingendarum artem, in expressionem, atque adumbrationem oporuisse diuidi, si falsum, etiam si uere falsum sit, tamen inter ea quæ sunt, unum esse, docere uellemus. THE. Sanè arbitror oportuisse. HOS. Quid? an non docuimus? & si hoc factum est, nōnne poterimus sine ulla dubitatione, duo adumbrationis genera numerare? THE. Scilicet. HOSP. Nunc uero iterum eam bipartito distinguamus. THE. Quo pacto? HOSP. Altera per instrumenta dicatur perfici: altera fieri intelligatur, cùm is qui simulacra rerum, speciesq; adumbrat, instrumentis munere defungitur. THE. Dic planius.

HOSP. Cùm aliquis sui corporis similitudine tuum fingit: aut ut sua uox, tua uideatur, efficit: is in ea assimulandi parte uersatur, quæ imitatio dis- citur. THE. Ita est. HOSP. Ergo hanc quoq; imitationis nomine appellatam distribuamus in par tes: quicquid autem præterea ad assimilationem pertinet, id ut laborem declinemus, alijs distribuen dum, in unumq; redigendum relinquamus, ac tali nomine designandum, quod ipsi rei congruere uideatur. THE. Placet ita fieri, quemadmodum dicens. HOSP. Sed & hanc, Theætete, bipartitam existimare debemus: cur autem ita sentiam, attende.

H THE.

PLATONIS

THE. Dic modo. HOSP. Imitantium alij nō sunt id quod imitantur: alij minus: atq; hac ipsa distinctione quæ tandem maior potest esse, imperitorum à peritis?. THE. Evidenter nullam video.

HOSP. Non igitur ea quam paulo ante commemorabam, scientis erat imitatio. nam q; tuā formam aut te possit imitari, te ipsum cognorit necesse est.

THE. Plane ita statuendum puto. HOSP.

Quid? iustitiae figuram: unoq; uerbo uirtutum omnium formā, nōne multi ignari rei ipsius, sed se ratiōnōisse, quam quisque uirtutis partem probat, eam sibi inesse conantur ostendere: omnesq; suas actiones, & orationē quam maxime possunt ad imitationem rei dirigunt?

THE. Sane multi. HOS

Vtrum igitur omnes fallit ille conatus, ut quamvis

iusti non sint, tamen tales esse uideantur: an multis

succedit imitatio?

THE. Multis arbitror. HOS.

At enim imitatem, qui formam eam, quam ignorat, imitatur, aliud credo putabimus, quam cum qui

gnarus imitatur.

THE. Maxime. HOS.

Vnde censes igitur horum utriusque nomen quod conueniat,

imponendū?

an nunc tandem difficultatem uel ex

eo animaduertimus, quod superioris ætatis philoso-

phos antiqua quædam obscuritatis caussa, à distin-

ctione generum retardauit: ut ne tentarint quidem

quod

quod se consequi posse different: ideoque nos
indopes vocabulorum necessario reliquerint. In
hac uero difficultate tamen audendum est: ac di-
scriminis causa, tametsi uidebitur fortasse ins-
uercundius, tamen eam imitationem, quae in
sola opinione posita est, opinabilem dicamus
imitationem. at illam quae coniunctam habet co-
gnitionem, & scientiem & grauem imitationem
nocemus. THE. Placet. HOS. Horum nomi-
num alterum in sophista usurpabitur, qui, quemad-
modum diximus, non est inter scientes collocan-
dus, sed inter imitantes. THE. Prorsus ita
factum. HOS. Hunc ergo, cui nos imitationem
tribuimus, non ueram, sed illam opinabilem, ueluti
ferrum exploremus, si ne rimosus, & fissura di-
ductus aliqua: an solidus, atque syncerus. THE.
Age exploremus. HOSP. Insignem uero fissu-
ram habet, evidentemq; divisionem. Nam alter
quidem simpliciter est ineptus, ea se certo scire pu-
bans quae opinatur: altera uero sophistæ species,
quia per omne genus disputationis uolutatur, ne
ipsa quidem abest à summa suspicione, ac metu, ne
quae se scire apud alios fingit, canon plane cognou-
erit. THE. Est igitur hic in altera parte di-
visionis tuæ collocandus. HOSP. Simplicem ne

H. ij ergo

PLATONIS

ergo quendam imitationem, & alterum contra plenum simulatione, ac dissimulatione ponemus? THE. Sane probabile est. HOSB. Et simulatior uero, unius ne generis est, an duum? THE. Tu uideris. HOSP. Evidem in eo sum: uideturq; consideranti mihi genus esse duplex: quoru alterius tantam esse video in simulando dissimulan doq; soleritiam, ut publice possint & perpetuis orationibus apud populum ironiam suam continuare: alterum uero genus priuatim, & in breuibus disputationibus, eos qui secum disputatione, eò saepe deducere, ut secum ipse pugnare, ac dissentire videantur. THE. Ita est, ut dicis. HOSP.

Atque illum quidem longa utentem oratione, utru politicum, & qui gubernandæ ciuitati recte posse adhiberi, putabimus: an potius quendam populo inservientem oratorem? THE. Evidem censeo eum hoc posteriori nomine vocandum. HOS. At illum alterum, utro tandem appellabimus nomine, sapientis ne, an sophistæ? THE. Cum sit inter ignaros asscriptus, sapiens certe vocari non potest, sed propter sapientæ imitationem, deducto quodam à sapientia vocabulo nominetur. Et nunc demum intelligo non aliud ei nomen uerius tribui, aut aptius conuenire, quam ipsius germani
Sophio

Sophistæ? HOSP. Ergo omnibus in unum retro à calce ad ipsa principia cōgestis, nomen illi, definitionēq; nectamus. THE. Sane si uidetur, ita faciamus. HOSP. Quicunque tali facultate præditus erit, ut & euertere possit alios, ac refutare, quam ironicae imitationis partem fecimus, quiq; op̄nabilis scientiae non ueræ habebit imitationem: quiq; ex imaginum fictione, eam partem assecutus sit, quam assimilationem uocauimus, & adumbrationem: quique in efficiendo nihil habet diuinitatis, sed omnia facit humanitus: & qui uerborum præstigijs hominum admirationem captare præcipuū sibi sumserit: hunc tali natura præditum, atque indole, si quis sophistam esse contenderit, equidem putauerim eum nihil falsi esse diciturum. THE. Ego quoque in eo tibi prorsus assertior.

F I N I S.

Admissum per M. N. Petrum
Curtium Pastorem diuī
Petri Louaniēn.
die. ii. Ianua.

Anno
M. D. LII.
sty. Ro.

Louanij typ. Reyneri Velpij.

